



1005

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.



1700.

1. Beierus, Adrianus, Fac. jur. Decanus: Propempticum
inang: de comprehensione partis
2. Beierus, Adrianus: De quittance minorum
jurata.
3. Beierus, Adrianus, Fac. jur. Decanus: Propempticum
inang: de transnominations signi (ad Disputationem
inang. Christiani Frederici Gellert invitat.)
4. Beierus, Adrianus: de mediis.
5. Beierus, Adrianus, Fac. jur. Decanus: Propempticum
inang: de transnominations causae (ad Disputa-
tionem inang. Ottonis Frederici Lange invitat.)
6. Beierus, Adrianus: Architectura juridica hoc est
de fabricatione, natura et usu testamentorum.
7. Beierus, Adrianus, Fac. jur. Decanus: Propempticum
inang: de metapora. (ad Disputationem inang
Johanni Corsti Luchner invitat.)

1700

8. Beierus, Adrianus: Ferton h.e. Disputatio: de 15. p[ar]te
quadrate et quaternione, quam occasione Aus. Gall.
lit. alt. § 1. ^{versus} ceteri ... submittit.

9. Beierus, Adrianus, Fac. jur. Decanus: Proscriptum 17.
in unq: de comprehensione Totius (ad Disputationem
solennem Johannis Philippi Drescheri invitat).

10 a, b, c Puchnerus, Wilhelm Hieronymus: de explorato-
ribus ... 3 Imp[er]at. 1700, 1744, 1746.

11. Fieser, Joh. Bernhardus: de causa fatua 21.

12. Fieser, Joh. Bernhardus: de vi ac potestate
in corpus proprium occasione 1957. ff. de p[er]iculis 21.

13. Fieser, Joh. Bernhardus: de secundis nuptiis. 23.

14. Kellorhaus, Niel. Andreas: de Cerere legifera.

1700.

15. Kriegh, G. Nicolaus: De inclarisendi modo apud
lat. Gracius veteres
16. Michaelis, Henr.: De advocatorum culpa.
17. Mullerus, Dr. Tacitus: De modis evadendi culpam
et vitium
18. Purgold, Dr. Simon: De civitate Romanorum vendita.
19. Neoylius, Dr. Philippus: De servitutibus anomalis
personarum.
20. Wedelius, Georgius Wolffgangus:
21. Wildvogel, Christianus: De jure posthumorum.
22. ^o Wildvogel, Christianus: De jure manus
vertrac. . . 2 Saemfl. 1700 i 1714
23. ^o Wildvogel, Christianus: De ultima voluntate
testatoris non servanda. . . 2 Saemfl.

1700.

769.

24^{1^{te}} Wildvogelius, Christianus: De termino Saxonico
2^o Sampl.

25^{1^{te}} Wildvogelius, Christianus: De Indaeorum receptis
ac tolerantia. 2^o Sampl. 1700-1729.

26^{1^{te}} Wildvogelius, Christianus: De jure reversionis
inter status imperii 2^o Sampl.

27. Wildvogelius, Christianus, Collegii Teutonici Decanus
De acclamationibus ad l. 3 C. de offic. Rect. pro
Programma inaugur. ad lectionem cursoriam Th. Taculi
Mulleri invitata.)

28^{1^{te}} Wildvogelius, Christianus: De testibus non rogatis
2^o Sampl.

I. N. I. 1700, 20 24.
DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS DE 22

TEREBINTHINA,

CONSENSV ET AVTORITATE
ILLVSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN ALMA SALANA,

PRÆSIDE

GEORGIO VVOLFFGANGO
VVEDELIO,

HÆREDITARIO in Schwarzha/

MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO
CÆSAREO, CONSILIARIO ET ARCHIATRO
DVCALI SAXONICO, THEORETICES
PROFESSORE ORDINARIO,

h.t. PRO-RECTORE DESIGNATO MAGNIFICO,
PARENTE SVO OMNI PIETATE PERPETVO COLENDO,

PRO LICENTIA

INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MO-
RE MAIORVM, LEGITIME

CONSEQVENDI,

Publicæ disquisitioni exposita

CHRISTIANO^a WEDELIO,

IENENSI,

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante- & pomeridianis,

A. D. August. C1712CC.

IENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
MICHIGAN
ANN ARBOR, MICHIGAN
U.S.A.

GEORGE W. VANDER
M.D. 1850
C. S. B. 1850
D. C. 1850

THE UNIVERSITY OF
MICHIGAN
ANN ARBOR, MICHIGAN
U.S.A.

CHRISTIAN W. VANDER
M.D. 1850

1850





I. N. I.

PRÆFAMEN.

Vriosa & inexhausta quasi est medicamentorum simplicium natura, ut scrutatio & exploratione egeat non vna, siue quoad genera sua aestimentur, seu proprias & speciales vires.

Ad genera referre liceat vniuersalia, purgantia, diuretica, diaphoretica, aliaque; ad specialia definitos varios vsus, quibus hæc illa superbiunt, utroque nomine excuti merentia.

Quo pluribus sub generibus militant, eo magis indubie se commendant; quo singularibus magis emicant, eo efficacius prosunt. Et classica sic eadunt, & inter illa maiori dignitate frequentantur.

In omnibus & singulis applicatio cognitionem, cognitio examen penitus supponit, quibus factis & ars stabilitur indies magis, & cultura ingeniorum non minus ac experimentorum splendorem sibi fœnerant maiorem.

Inter hæc egregia est resina terebinthina, in vulgus quoque ideo notissima; de qua, dum speciminis inauguralis loco agere aggredimur, supplices diuinum imploramus Numen, ut feliciter omnia cedant.

A 2

CA-

17.

CAPVT I.

De

Terebinthinæ origine & natura.

T innumera ars medica a Græcis mutuata est nomina; ita inter hæc non in postremis est TERE-
BINTHINA, medicamentum antiquissimum, & ipsi Hippocrati non vno loco nominatum. Dicitur huic constanter *πντινν τερεβινθινν*, resina terebinthina, vt aliis *τερεβινθινν*, item *τερεβινθινν πντινν*, deriuatis his adpellationibus ab arbore, ex qua provenit, quæque *τερεβινθινν* audit, iuxta quosdam a ciceris conuenientia quadam, quod *ερεβινθινν* Græcis est, vel, vt frequentius, *τερεβινθινν* dicta.

Ab hac deflexum adiectiuum *τερεβινθινν* tum de aliis prædicatur, tum etiam sine additamento, suo genere, de terebinthina, subaudi *καλ' εροχλω* resina. Vsu enim sensim ferente, vetustis iam seculis inoluit hoc nomen solum, vt, præter plures alios, apud Dioscoridem l. 3. c. 163. vocetur *τερεβινθινν*, sæpius vero apud Scribonium Largum in compos. & Plinium ipsum terebinthina, quos hinc reliqui secuti.

Et hinc communissime in hunc vsque diem ita vocatur, more apud medicos non insueto, vt idem valet de aliis pluribus quoque. Quis nescit acaciam, & hypocyttidem dici de succo arboris cognominis? Maxime vero concinit *κεδρεας κεδρια* denominatio apud Cœm, Dioscoridem, Aretæum, & alios, quæ ad instar terebinthinæ ex cedro prolicitur, ne laudemus opium, & ex compositis theriacam, & centum alia.

Securum eleganter Celsus lib. VI. cap. 18. p. m. 606. terebinthina resina myrrham nuncupat; respectu sine dubio ad virtutem balsamicam, cum lacrymarum optima, myrrha,

rha,

DE TERE⁵BINTHINA.

tha, communem habito, nisi peculiarem terebinthinæ speciem aut selectam per id intelligat, quod tamen vix credendum est. Alias vero semper *resina terebinthina* nomine vitur, semel iterumque etiam *resina terebinthina liquida*.

Adpellatur quoque *lacryma terebinthinæ*, & inter has recensetur, tum ab aliis, tum etiam ab ipso *Theophrasto*, qui eius ad id genus refert plantarum arborem, quarum humor *δακρυώδης γίνεσθαι*, in *lacryma* modum gignitur, *Hist. Plant. l. IX. c. 1.* Germanis autem, pro suæ linguæ flexione, *Serpenthin* (& vt *Georg. Nicol. Schurzius* in *der neu eingerichteten Material. Kammer p. 107* habet, etiam *Glarieth* dicitur.

Colophonix nomen ipsi aliquando impositum, legimus, eo quod olim e *Colophone* fuit adlata. Et olei nomine nonnunquam effertur, vt sunt, qui *abietinam*, seu ex *abiete* prolectam resinam, oleum *abietis* nuncupant, sed paulo *ἀκίρωτος*. Dudum enim iam *Dioscorides* ipse oleum terebinthinum aliud a terebinthina agnouit & describit *l. 1. c. 51.*

Quoniam vero, teste eodem, terebinthina omnes alias antecedit resinas, factum hinc est, vt quibusdam ex his nomen suum fuerit impertita, & sic aliarum quoque arborum resinæ eiusdem superbirent titulo, quas inter sunt *laricea* seu *larigna*, *abiegna*, *pineæ* &c. de quibus infra dicemus.

Ebnina l. 2. rr. 2. c. 310. terebinthina audit *gluten albotin*, seu *gluten terebinthi*, item *gummi grani viridis*, facto hoc nomine ab eo eiusdem arboris genere, quod fructus suos in viridi pallidos fert, qui fructus a *Theophrasto* *χλωρότης* dicitur, quasi herbaceus; *libr. III. hist. pl. cap. XV.*

Alias vno verbo audit *بيناسن*.

Circa HOMONYMIAM terebinthinæ parum vel nihil occurrit quod notari mereatur, nisi quis huc velit referre, quod *τέριβινθος* seu *terebinthus* apud *Coum l. de humor. c. 11. & l. 6. epid. s. 3. t. 64.* notet, interprete *Galeno*, tubercula

A 3

nigra

nigra tiliarum præcipue, fructum terebinthi figura, colore, magnitudine, æmulantia, quo de plura legi possunt apud *Foes. in accon. Hippocr.* Forsan varices ipsos intelligit, quod argumento coloris, loci, textusque ipsius *συναφείας* colligi posset. Ut taceamus eadem voce & plantam quandam lino similem significari, teste *Etymolog. magno.*

Ad terebinthinam igitur propius nos accingimus, & ut melius res procedat, tali modo DEFINIMUS: Terebinthina est resina liquidiuscula, balsamica, primario & κατ' ἐξοχὴν ex terebintho, hinc & aliis arboribus resiniferis, arte vulneratis, proueniens, particulis salino-sulphureis actiuis gaudens, polychresta.

GENUS constituimus resinam, ut sic distinguamus ab aliis gummatibus, gummi-resinis, succis. Quando enim ab *Ebnfina* gummi dicitur grani viridis, sit id latiori acceptione, ad gummata enim non nisi *ἀνύρωσ* & improprie referri potest. Neque enim menstruis aqueis morem gerit, nec in aliis cum gummatibus, stricte sic dictis, conuenit.

Idem putandum de gummi-resinis, siquidem parum vel nihil cum huius commatis aliis commune habet. Succis vero adiungere si quis velit, late sumpto succi termino, pro quouis humore seu liquore vegetabilium, excusari id quidem potest, stricte vero & sensu medico accepto, minime. Ita enim succus est & proprie dicitur, qui ex plantis magis & fruticibus, quam ex arboribus, saltim resinosis, producitur; & præter ea succi in officinis recepti pluribus auscultant menstruis, nostra vero resina non item.

Solis hæc spirituosus vinosus atque oleosis obsequitur, nec in aliis æque solui potest liquoribus; id quod cum vnis resinis peculiare sit ac proprium, ut, *Plinii* verbis, resina omnis soluitur oleo, harum generi eam substare debere merito concludimus.

Resina ergo est, *ῥητίνη* Græcis, *ῥητὸν τὸ ῥέειν*, a fluendo, quo ipso statim eius innuitur certo respectu consistentia, quam, ut penitius exprimamus, diximus cum *Schrædero* & aliis

DE TERE BINTHINA

17.

aliis liquidiusculam Et hoc optime etiam de laricea exponit *Axtius*, eius consistentiam oleo crassiore & melle liquidiorum describens *tr. de arbor. conifer. cap. 11. p. 76.* Eo enim distinguitur ab aliis duriusculis resinis, quæ profluendo indurescunt, & aliqualem vel maiorem induunt soliditatem. Distinguitur etiam a liquidioribus, siquidem quoad liquidum & fluidum facile aliis cedit liquoribus, lente nempe valdeque minutatim fluens, in primis si sit paulo vetustior.

Neque vero hanc suam consistentiam facile mutat, vel plane amittit, liquidiuscula quasi semper existens; quamvis enim longo temporis tractu etiam indurescat, raro tamen omnis dura seu solida euadit, sed plerumque pars liquidiuscula remanet. Par ratio est lariceæ, quam nunquam durescere *L.B. Porta l. 2. villa c. 14. p. 101.* & alii notarunt.

Licet quoque *Prosper Alpinus l. 4. de Medic. Egypt. cap. 11.* Ægyptios scribat in usu habere resinam terebinthinam siccam ac duram; qualem semel apud seplasiarium doctum Dommerum se vidisse scribit *Bodæus*; videtur tamen illa magis fuisse resina, vel calore solis in arbore exsiccata, vel coctione præparata, quæ hinc non amplius audit terebinthina.

Resinam balsamicam dicimus, ad designandam ulterius differentiam specificam, & eminentiam. Si enim ipsum opobalsamum verum loco canonis cuiusdam statuamus, sane propius accedit, & loco suo refert idem terebinthina optimæ notæ, imo reuera & viribus, quamvis non pretio; uti quoque fructus balsami similis terebintho est, tam magnitudine, quam colore. Ausim dicere, & balsami nomine, ut re & usu quoque, venisse apud veteres. Hinc & huius & mellis mechanica optime concipi potest, consistentia, viribus ipsis, & elegantia, qua idem omnino superat. Imo & nomine mellis venit antiquis non raro, quando de conditura cadaverum loquuntur, hoc enim genuinum balsamans mel intelligunt reuera.

Notanter etiam aliis titulis balsamicam diximus, consistenten-



sistentiæ, texturæ, effectus. Si enim resinas penitus lustremus, præter receptam distinctionem, videtur ambitus quidam latior earundem concedendus. Hinc resinæ aliæ a spiritu vini solvantur intime, vt camphora, resina ligni aloes, gualapæ, scammonii &c. Aliæ saltim imperfecte, vt mastiche & terebinthina, perfecte tamen magis oleo: quo nomine gummatibus & gummi-resinis contradistinguntur, quorum illa ab aqua, hæ ab aqua & spirituosissimis vino-
sis, imo & aliis, acidis ac vrinosis solui amant;

Originem si inquiramus terebinthinae, eam primario & κατ' ἐξοχήν ex arbore terebintho provenire dicendum est. Vt enim arbor ista nomen ipsi largitur, sic quoque principaliter ortum atque proventum; τερεβινθία ista Græcis audit, vt diximus. Τερεβινθία vero vocem præ illa a Dioscoride, Theophrasto, (& apud hunc non nisi vnico loco τερεβινθία vocem occurrere,) imo & Galeno magis in vsum vocari, curiose etiam adnotavit & communicavit mecum beneuole eruditissimus apud Harlemenses Medicus ac Polyhistor D. Antonius van Dale; quamuis veteres etiam τερεβινθία dixerint, quos Latini, vt Plinius alique, sequuntur.

Vtuntur & hac voce τερεβινθία vulgo sic dicti LXX. interpretes *Genes. XIV, v. 6.* εἰς τὴν τερεβινθίαν τὴν φασγίαν, quod Lutherus bis an die breite Pharan reddidit; in aliis tamen codicibus legitur τὴν τερεβινθίαν. Videtur hinc τερεβινθία vox contracta ex τερεβινθία, & in hac, ob affinitatem literarum μ & β, morem diuersum pronunciandi ac scribendi enatum.

Exotica cum sit hæc arbor, nostris in regionibus non reperitur, nisi forsan aliunde huc aduecta inter alias exoticas rarasque plantas in hortis occurrat visenda; qualem vidimus Gothæ ab illustri *Auemanno*, studii botanici atque hortensis nostroque Patrono summo, ex Batavia adferri curatam, adseruari magna cum diligentia.

Est autem arbor contorta, fruticosa ac mediocri magnitudine, caudice crasso, ramis multis, oblongis, foliis fraxini modo longis, ex multis ad vnâ costam coheren-
tibus,

DE TERE⁹BINTHINA.

ribus, sed crassioribus & pinguioribus, quorum singula laurinis similia, aliis cotino proxima, aliis instar siliquæ se habentia cernuntur: flores admodum parvi sunt, muscosi & purpurascens: fructus exigui baccarum ritu racematim coherentes, rotundi, oblongi, duri, pingues ac resinosi, & manus contrectantium inficientes. Plura videantur apud *Renodum, Matthiolum*, aliosque Botanicos.

Theophrastus l. 3. H. P. c. 15. eam distinguit in masculam & foeminam. Masculam sterilem, foeminam vero iterum duplicem esse, ait, quarum alia fructum proferat ruffum, magnitudine lentis, qui concoqui nequeat, alia viridem editum ruffum postmodum tingat, unde granum viride dictum esse efficitur.

Adnumerat eam *idem*, & ex eo *Plinius*, arboribus perpetuo virentibus; id quod tamen negat *Andr. Casalpinus* l. 2. de Plant. c. 44. pag. 78. Terebinthi folia decidua esse dicens; cui sententiæ ipse quoque celeberrimus *Raius, Clusius* apud *Bodeum* in not. ad *Theophr. hist. pl. lib. 3. c. 15. p. 230.* aliique subscribunt, quorum vota fere æquali lance librantur.

Non dubitamus de tantorum virorum experientia, & cum terebinthus pinguedinem quandam, more aliarum perpetuo virentium, seu resinositatem possideat, mirum id videri posset, nisi extarent quoque resiniferæ perdifoliæ, ut loquitur *I. B. Porta* l. 2. villa c. 14. p. 99. inter quas larix est. Accedit, quod *Moses Charas* aliique lignum eius perenne adserant, & *Bodæus* l. c. in Gallia Narbonensi eiusdem non decidere folia testetur. Videtur distinctione res expediri posse, & in loco natali minus orbari foliis, ut & temperatioribus aliis, si defendatur a frigore; secus, si contrarium accidat, quod & in similibus valet, quæ non solum folia perdunt, insueta ferre frigus, sed & emoriuntur plane. Gothana illa quotannis hyeme exuit, & vere noua parturit folia.

Patria quoque terebinthi merito considerari debet, cum varias resinæ suæ impertiat denominationes. Varia autem ipsi a variis adscribitur Autoribus. *Dioscorides* re-

B

cen.

17.



censet Arabiam Petream, quam terebintho fertilem confirmat *Diodorus Siculus*, Iudæam, Syriam, Cyprium, Africam & Insulas Cyclades. In Iudæa se reperiisse easdem in copia *Leonhard. Rauwolffius* in descriptione itineris per Orientem facti *P. III c. 22. p. 461.* notat, ramosque harum atque frondes ad tabernacula construenda vsurpasse Israelitas in festo tabernaculorum, *Nehem. 8. v. 14.* alibi que memorato, arbitratur.

Non possumus, quin mirandam terebinthi antiquitatem ex *Iosepho* laudemus *l. 5. de Bell. Iud. c. 7. p. m. 895.* ubi meminit urbis Hebron. *δεξινῶν*, inquit, *ἀπὸ σταδίων ἑξ τῆς ἀστυτέως* *μεγίστης, καὶ φασι τὸ δένδρον ἀπὸ τῆς κτίσεως μέγιστον ἔχειν.* Cernitur autem sexto ab urbe stadio arbor maxima terebinthus: eamque memorant ab initio mundi creati nunc usque durare. Fallor? an ab ipso innuitur *l. c. Gen. XIV. v. 6.* laudata?

Theophrastus circa Idam & Macedoniam breuem, fruticosam contortamque nasci tradit, at apud Damascum Syriæ magnam, copiosam decoramque; ita ut mons solis terebinthis refertus ibi esse perhibeatur. Qua occasione obiter notari potest prouerbum a terebintho sumtum, cuius *Bened. Curtius Symphorianus Hortor. lib. 27. c. 1. p. 601.* mentionem facit, stupidum nempe sibi que placentem hominem vulgo in prouerbio terebintho stultiorem dici, eo quod hac arbor late ramos porrigat. Quare & eandem a quibusdam fatuam dici ibidem obseruat; Confer. *Erasmii adagia.* Nobis tamen aliunde potius, & forte a nomine proprio cuiusdam, ratio quærenda paræmiæ videtur, quam incongrua hac arboris terebinthi applicatione.

Plinius lib. XI. c. 27. terebinthorum in insula Co meminit. Sic etiam sunt Insulæ, quæ nomen suum a terebinthis acceperunt, qualem in mari Ægeio ab *Antophilo l. 1. c. 58.* sub nomine *τερεβινθῶν* describi animaduertit *Sam. Bochartus Geograph. Sacr. Part. poster. lib. 1. c. 8. p. 382.* Addit etiam, quod circa Bizantium Terebinthum insulam memorent *Nizetas,*

DE TERE^BINTHINA.

II

zetas, Zonaras, Curopalates &c. Quid? quod idem Autor Insulam Patmum, a Iohanne Euangelista celebrem, a terebinthis nomen suum deriuare contendit, propterea quod Syris terebinthus sit batmo, vt Chaldæis butma, & Arabibus botmon, quo de videri ibidem pluribus meretur.

Addunt his merito quidam, in quibus ipse *Galenus*, insulam Chio; item alii varia in Italia loca, vt *Charas* facit, qui etiam agrum Tridentinum huc refert, *Tom. III. Oper. c. XXXVII. Pometus* Hispaniam etiam & Galliam terebinthos generare testatur. Idem quoque adserit dictus *Rauwolfsius* l. c. in regione Montpelienfi Galliæ eandem terebinthi speciem, quam in Iudæa offenderat, peruulgarem esse dicens. Adsentit & *Bodæus* l. c. lib. IX. c. 2. p. 970. Narbonensem Galliam, Italiam, Hispaniam ac Lusitaniam terebinthis adstruens natale præbere solum.

Notatu tamen dignum est, quod his in regionibus idem autor neget resinam ferre terebinthos: quod si ita est, forte ab eo deducendum, quod calor his in regionibus non ita intensus sit ac in oriente, vnde accidit, vt resina difficilius ad maturitatem sufficientemque perueniat digestionem, communi cum lentisco fato, quæ mastichen non ubique fundit. Quamuis, si quis credere velit, illud successum temporis & annorum compensare posse, arduum sit inficiari plane, quod vlla proliciatur resina istis in regionibus; non item vero, quod non in tanta copia, & hoc de Italia adfirmat *Cesalpinus* c. l.

Audiamus *Iob. Bapt. Portam Villa* l. 2. c. 15. p. 102. Vulnusculis, inquit, inflictis æstate in Tiburtinis collibus vidimus resinam optimam resudare, quam lætabundi collegimus. Sed, addit, folium autumnno perdit, & nuda hyeme frigoribus exposita est, quod non paruam admirationem ingessit. Hoc ipso a nobis de hoc asserta confirmantur.

Nominat *Virgilius* lib. X. *Aneid.* terebinthum Oriciam, ab Orico, quæ vrbs in Epiro est, vbi terebinthus nascitur, vt commentatur *Seruius*. Verba Poete hæc sunt: quale per

B 2

artem



artem inclusum buxo aut Oricia terebintho lucet ebur. Laudatur nimirum maiestatem Dardanii, nudo capite pugnantis, desumit metaphoram ab eboris, tanquam corporis candidissimi, nigro admodum inclusi ligno, splendore. Tale autem esse terebinthi lignum, nobis aperit *Eresius lib. 5. H. P. c. 4.* ubi esse quosdam dicit, qui hoc circa Syriam vel ebeneo nigrius existere adfirment.

Sed diuersa est terebinthus nostra atque distincta a terebintho Indica Theophrasti, *l. 4. Hist. Pl. c. 5.* quæ resinam non largiri creditur. Existimant hanc aliqui eandem esse, cum pistaceorum arbore, quoniam descriptio, quam de ea habet iste Philosophus, in omnibus fere cum hac conuenit. Sed aliter sentit *Rauwolffius l. c. cap. 9. Part. II. p. 228.* quamuis similem fateatur fructum, & cum hoc *Iob. Basbinus*, singularem a pistaceorum arbore speciem describentes, qui de his legi possunt vterius.

Fuerit hæc arbor, quæ Ⲛⲓⲛⲓⲛ *nucis terebinthina fert,* (scemode *Terebinthennüßlein* vocat *Rauwolffius*,) ⲧⲉⲣⲉⲃⲓⲛ *vertunt LXX.* laudatas inter fructus in Ægyptum a Iacobo missos *Gen. 43. vers. 11.* suauitate amygdalis præstantiores, cæteroqui similes, verbis *Eresii.* Neque insolitum est, quamuis hoc ipsum vix notatum videas, prædicari idem nomen de arbore seu herba quoque, & fructu, seu semine, exemplo ficus, castanæ, anisi, cumini & aliorum. Ex dictis autem videmus, non vnâ terebintho nostræ esse patriam, quæ veram & strictissime sic dictam fundit terebinthinam resinam.

Hæc vero cum nec in tanta copia, nec ita commode vbiuis locorum haberi posset, eius autem in medicina vsus esset magnus, de analoga, quæque in aliis terræ partibus comparari posset, cogitauere resina Medici. Nec res successu caruit; cum enim viderent, dari quoque aliis in regionibus arbores, ad instar terebinthi resinam fundentes, hanc inde productam examinantes non longe a terebinthina recedere resina obseruarunt, quare eam isti veræ substitue-

stituerent, huiusque ob similitudinem eidem non dubitauerunt imponere nomen.

Illæ ipsæ autem arbores, terebinthi æmulantes naturam, ab ipso memorantur ideo laudanturque *Dioscorides*. Proxime enim post terebinthinæ resinam ponit, quæ e pinu & abiete, hinc quæ e picea & pineis nucibus prouenit. Neque minus earum mentionem facit *Eresius*, eas ex ordine cum terebintho enumerans, ubi de iis agit arboribus, quæ resinam lacrymarum in vicem fundunt, additque laricem, quam *Dioscorides* ad pinum aut piceam referre videtur. *Plinius* vero tanquam singularem atque diuersam adjicit arborem, tedam; sed, cum hæc fit morbus arborum quarundam pinguium, ut de larice ipse affirmat, non vero peculiaris arbor, erroris accusatur a *Matthiolo*, *Bellonio*, *Casp. Hoffmanno*, & cum his ab *Axtio* l. c. cap. 6. p. 43. f. qui videri possunt.

Abundat his resiniferis Europa, & in ea nostra Germania, arboribus, vnde & earum resina nemini non est nota, larix quidem respectiue rarior, sed reliquæ largissime. Etenim ut ne dicamus innumeris in regionibus ac locis magna easdem constituere nemora saltusque, vnicam, eamque maximam Germaniæ filiam nominare sufficet, Hercyniam. Hanc non conficiunt solummodo, & tantum non vnice absolunt dictæ arbores, sed & eidem imponunt nomen. Idem quippe non tam a Græco ἑρῦν, quod circuitum seu septum significat, quam a Germanica voce Harz suum trahere ortum eruditè, ut solet, adnotat *Cl. Cellarius* in *Lexico Fabri*. Quotnam vero earundem sint species, & in quibus ab inuicem discrepent, ostendit optime *Ioh. Baubinus* in *Histor. Plant.* alique rei herbariæ scriptores, quibus facile addi potest sæpius a nobis laudatus *Axtius* in libro adducto, compendioso quidem, satis tamen curioso ac docto.

Quod si igitur ex enumeratis desideretur arboribus resina terebinthina, ut prius vulnerentur opus est; quo ex poris & tubulis suis ad extraneum effluxum inuitetur succus,

B 3

eoque

eoque vna ab aliis resinis, gummatibus & gummi-resinis differt, quæ illæsis arboribus sponte sua promanant.

Quanquam enim etiam ex istis aliquando non fauciat liquor talis resinofus calore solis propellatur, iste tamen nequaquam terebinthinæ, sed resinæ, quasi eidem contradistinctæ, & speciatim sic dictæ, nomine venit. Talis est resina strobilina, quæ circa conos seu strobilos pini concreta reperitur; sicut & aliarum arborum coni resinam aliquam fundunt; quale pomum se Venetiis attulisse testatur quoque *C. Hoffmannus*, cui multis locis adhæsit resina; & visum est sæpius conis piceæ multum adhæsisse resinæ. Parcius nempe & pedetentim prodiens ab æstu solis desiccatur sensim; hæc autem desiccata, alio potius nomine, quam terebinthinæ, venit.

Præterea etiam si illæsis sic proliceretur arboribus, & liquidiuscula maneret, longe minor tamen extra dubium, ejus foret copia, quam ut pro usu exigente sufficere possit; qua de re adiuuari omnino debet.

Hoc autem fit, si infligantur arboribus vulnuscule, ut sic liberiori solis calori parato aditu ad interiores arborum poros resina digeratur magis, & digesta ad faciliorem adducatur exitum. Inciduntur, juxta *Theophrastum*, & vulnerantur terebinthi parte vtraque, caudice nempe & ramo, meliorem tamen & copiosiore ex isto defluere memorat. At *Plinius lib. XVI. c. 12.* radices quoque; incidi meminit, ut ex iis resina producat; quam ob rem notatur a *Bodeo l. c.* variisque refellitur rationibus ibidem legendis.

In pinu vero, ut docet *Theophrastus*, vulneratio ita fit, ut quibusdam partibus cortex detrahatur; hoc detracto plagæ istæ nudatæ postero replentur resina anno, quam auferunt, deinde iterum replentur, ubi eodem modo proceditur. Eandem in colligenda resina ex picea apud nos esse rationem testatur *Axtius c. XII. p. 81.* De larice tamen *Bodeus* habet, quod eius truncus crasso oblongoque terebro ad cor usque excavari debeat, si resina ex ea laricea exoptetur.

tur. Similiter in abiete, imo & picea, procedi scribit *70. Bauhinus*; nempe non cortice tantum spoliari, sed ipsum, etiam corpus i. e. lignum vulnerari debere. Neque dubium est, quin itidem terebinthus tali tractata fuerit modo, ad eundem finem, quamuis expresse de hoc apud Autores non fiat mentio.

Minime tamen prætereundum est, quod *Axtius c. 1. p. 14.* obseruat de abiete, quod inter corticem eius & corticem arborum iuniorum oriuntur quædam tubercula, quæ nostrates *Dannblattern* vocent, ex quibus, si vulnerentur, fluat præstantissima illa resina lariceæ consistentia similis, sed magis transparens, amaricans &, vt *Dodonæus* refert, sapore citrii mali corticem proxime referens. Hanc Venetos vocare *Lagrino*, & eandem esse terebinthinam Venetam, quæ illi ac adfertur, idem arbitratur *p. 76.*

Sic quoque huc pertinet suo modo, quod *Plinius* scribit, terebinthum ferre folliculos emittentes quædam animalia & culices, lentoremque resinofum, qui & cortice erumpat, *lib. XIII. c. 6.* Alius tamen est hic liquor, qui in folliculis reperitur & ex cortice erumpit, alia nostra resina, quæ e trunco manat, vnde non nisi secundo ad hanc, proprie dictam, spectat, licet ad balsama laudetur, eandemque in sanando glutinandoque vim habere dicatur. Hæc protulit *Bodæus*, vt conciliaret hunc *Plinii* locum cum isto *Theophrasti*, vbi negat ex folliculo colligi resinam; vid. *in not. ad l. III. Theophr. H. P. c. 15. p. 230.*

Characterem atque phænomena si inquirimus terebinthinæ, eius sese nobis substantia sistit oleaginosam, pinguem, transparentem atque pellucidam; consistentia eiusdem, vt innuimus, est liquidiuscula, lenta, viscida, accedens quoad externam faciem, consistentiam, colorem nonnihil ad mel; quod ipsum etiam de laricea expressis verbis asserit, *Anazarbaus l. 1. c. 93 ἡ λάριξ μέλιτι ἔοικεν, larix melli similis est.* Imo superat idem deliciariorum aspectu vtriusque.

Vt autem inter se aliqua ex parte differunt terebinthinæ

17.

thinæ species, ita quoque earum color non omnibus idem est. Vt plurimum ab Autoribus commendatur candida, colore ad vitreum & cyaneum seu cœruleum inclinato, quo penitioris coloris eiusdem determinationem describere fatagunt. Et hoc maxime de terebinthina vera valet, habet tamen in vulgari etiam locum, in primis si paulo recens adhuc sit.

Etenim hanc obseruauimus esse colore rauido seu liuido, candicante, non ita pellucido; sed, quod notabile est, successu temporis amittit in superiori parte hunc colorem, & flaua seu potius aurea transparens evadit, parte ista albicante, liuida, terrea magis & grauiori fundum petente. Ex qua causa *B. Rolfincius l. de purgant. Veget. S. 14. c. 2. p. 435.* non improbandam censet eam, quæ cum aliis suis dotibus subfluescat.

Zwölfferus, quæ communiter Venetiis transportetur, nigram accusat & ideo reiicit, id quod tamen, si per nigredinem colorem istum vitreum cœrulescentem intelligat, an iure vel iniuria faciat, iam non disquiremus. Illam vero terebinthinam, quam *Ægyptios* in usum vocare nos docuit superius *Prosper Alpinus*, ab eodem foris lucida, alba, intus flava perhibetur.

Eandem hanc refinam aspero subdulci sapore ferire, linguam, dentibusque commansam in ore ut ceram mollescere, sicque in ore substantia, mollitie, sapore ceræ videri proximam, idem *Alpinus* autor est. Ex hoc autem patet, aliam longe esse hanc ipsam ab ea, de qua nos agimus, terebinthina. Nam hæc masticata dentibus adhærens amariusculam se exhibet gustui, non ingratham tamen. Amariorem esse, quæ ex abiete oritur, terebinthina vera atque laricea, contendit *Jo. Baubinus*.

Huius vero amaritiei causam curiose inuestigans *Petr. Jo. Faber in Pharmac. Chim. lib. III. c. 42. p. m. 174.* eam derivat a prædominio principii sulphurei in terebinthina, & adeo caloris interni a calore nativo & centrali arboris exacuati & fortius

fortius digesti, ita quidem, vt præ violentia dulce quicquid fuit in succo terræ, radicibus arboris in alimentum tracto amarum fiat. Probat id mechanica mellis, quod, si violentissime coquatur & acri calore digeratur, amaritudinem acquirit summam, quamuis perdulce sit. Sic *Plinius* l. *XVII. c. 12.* in picea aperienda laudari eam partem quæ terræ proxima, altiorem enim amaritudinem afferre, (sc. resinæ) commemorat.

Odorem inuestigantes acrem & singularem, non insuauem tamen vel inamœnum deprehendimus. Autores, *Dioscoridem* plerumque secuti, odoratam extollunt & quidem istam, quæ terebinthum redolet. At *Pometus* *Histoir. General. de drogues lib. 7. c. 55. p. 283.* inter signa terebinthinæ veræ, quæ ex Insula Chio adfertur, ponit, quod fere omni sapore odoreque expers debeat esse; quare & facile ab aliis odorem fortiorem possidentibus dignosci posse addit.

Principia agnoscit terebinthina imprimis salino-sulphureum, quod non tantum sapor demonstrat, sed etiam effectus, quos in corpore humano producit. Numeratur enim idcirco inter purgantia & diuretica, ob salinas, quas in se habet, particulas adprime istis operationibus velificans. Præterimus has per destillationem, aliaque examina per *Agnesis* instituta, luculenter manifestari posse.

Alterum tamen, nempe sulphureum, manifestius ferme in ea inuenimus. Nam quanta quanta est, est *Φλογιστή*, seu inflammabilis. Hinc etiam inter calida & sicca secundi gradus vnanimi locatur consensu. Maxime vero memorabile est phænomenon istud, quod de terebinthinatis obseruarunt Practici; scilicet, quod interius adsumta suaueolente seu violaceo tingat vrinam odore, quatenus intime in sero resolutam resinositatem suam sulphuream balsamicam in sero, & consequenter vrina, expandit & explicat; quod de aliis quoque obseruatum confirmant autores, v. g. nuce moschata, mace, oleo iuniperi &c.

Laudat, præter hæc, in ea principium mercuriale, &

C

com-

communem præ cæteris obtinere particulas mercuriales adserit *Febure Traité de la Chymie Sect. X. c. 9. p. 652.* Habet, se omnino terebinthina etiam in hoc instar balsamorum. Gaudet, per analysin mechanicam chemicam, partibus volatilibus, æthereis, delicatioribus, quæ alembicum transcendunt; gaudet fixioribus grauioribus, minus mobilibus, reliquas irretientibus, vtrisque iunctis balsamicis, & emplasticis.

CAPVT II.

De

Differentiis Terebinthine.

Remissis iam, quæ in genere notionem terebinthine insinuare queunt, operæ pretium fuerit, speciatim porro delibare eiusdem DIFFERENTIAS, quibus & acceptio, & termini vsuales, & alia distinctius emicabunt.

Ad differentiam ratione generis quod attinet, vt resina communicat quidem cum omnibus aliis, homogeneis, quatenus in vno tertio & notis characteristicis conueniunt, quibus hinc a succis, a gummatibus, a gummi-resinis aliis, cum primis vero viribus, discriminatur.

Vtque id delibemus quoque, non tam ex terræ & aque connubio, tanquam materia prima, illa resinofitas est repetenda, sed ex materia secunda, principiis chemicis. Enimvero, vt illud *Aristophanis* huc applicemus: *ἢ Φεγγῆς ἔλκετ' τὴν ἰκμάδα ἐκ τῶν κἀρδαμῶν*, *nititia humorem ad nasturtia trahit*, hoc loco in terebinthinam, *laricem*, *abietem*; seu fermento seminali specifico aqueæ & terreæ particulæ hanc in radicibus, ceu ventriculo quodam, induunt mechanicam, vt densentur, spissescunt, lentorem fluxilem inflammabilem contrahunt. Facta hinc velut plethora quadam, modo sponte resina, modo arte obstetricante extra oleas fertur & colligitur terebinthina.

Præ,

Præcipuam hinc differentiam constituit *consistētia*, quam tum natura & examen rei suggerit, tum dudum obseruarunt antecessores nostri. Instar omnium *Dioscorides* illam proponit *l. i. c. 93.* quandoquidem & sensus confirmat, aliam resinam esse *ύγρην*, liquidam, humidamue, aliam *ξηγην*, aridam, seu siccam. Et sic omnino distincta est terebinthina a resina simpliciter seu absolute sic dicta, utpote quæ non nisi sicca intelligitur.

Hinc recte in taxis, quas vocant, seu catalogis simplicium medicamentorum, seorsim a terebinthina communi, ac separatim præter eam, recensentur resina abietina, & alba, seu pinea, cum tamen ex abiete, vel pinu quoque terebinthina, communis suam trahat originem. Si nempe simpliciter, resina, abietina vel alia, ponitur, intelligitur, per dicta sicca, siue natura & sponte in arbore quæ exaruit, siue in huius defectu ex resina terebinthina, liquidiuscula prius quæ fuit, ad duritiem cocta.

Valet id quoque de myrrha, quæ sic audit, arida, ut liquida *σταθε*, a stillando, ab *Eresio* *ελαιον* dicta, unde huius & denominatio & ipsa res optime elucet. *Celsus* notanter modo *resinam liquidam*, modo *resinam pineam liquidam*, ad differentiam aridæ & terebinthinae veræ meminit. Taceamus *μέλι κέδρον*, mel cedrinum, (ab interprete male versum mel, oleum cedrinum,) *Hippocriti* clarissimis verbis dictum.

Ratione originis claret porro differentia, arborum putata homogenearum, quæ genere conueniunt, specie differunt. Iam dudum enim commune nomen inualuit terebinthinae, commune resinæ liquidiusculæ, siue ex terebintho *κυεως*, siue ex larice, siue abiete oriunda fuerit.

Non minus ab ipsis *regionibus* emicat petita differentia, circa quam plura delibanda se offerunt, ne confusio fiat, facillime eueniens, inprimis cum hodie hæc vna fere & præcipue sit vsitata, sed non vno modo varians.

Non pauci, ut instar omnium *Francosurtenses* & *Lipsenses* officinae, duas saltim memorant species, terebinthinam.

communem & Venetam, intelligentes per hanc Cypriam, seu veram, per illam lariceam: *Noribergenses & Londinenses* Cypriam & Venetam. *Wittelbergenses* tres memorant, communem, seu resinam lariceam, veram Cypriam, & Venetam Officinarum, seu resinam liquidam ex nouellis abietibus collectam, quibus & *Cass. Baubini* assentitur. *Augustani* communem, pellucidam Venetam, & Cypriam recentent. Resina larigna, iuxta *Solemandrum* s. 1. conf. 2. p. 9. dicitur a pharmacopolis terebinthina Veneta, quod & *Heer. l. 1. obs. 1. p. 21.* confirmat.

Quis vero non videt, hæc sibi non parum contrariari, & maxime Venetæ nomen esse æquiuocum, cum modo communem, abiegnam, modo lariceam, modo veram Cypriam notet? Et ortum videtur hoc dubium, quod emporium celeberrimum Cypriam sine dubio primario in Germaniam amandauerit, hinc & reliquis inde denominatis, donec tandem & laricea & ipsa Germanica eundem titulum sibi vendicauerit.

Decidenda hæc sunt indubie tum ex rei ipsius euidencia; si enim in re conueniamus, vt vulgo dici solet, in nominibus erimus faciles; tum ex genuina appellationis cuiuscunque ratione, vt scapham scapham, ouum ouum nominemus. Non possumus non hinc Augustanis pollicem premere, qui & proximi sunt Venetis, & velut interpretes horum commerciorum genuini.

Audiamus effatum celeberrimi Augustanorum Archiatræ, *D. Luca Schröckii*, qui in literis ad Parentem, terebinthina, scribit, quam pellucidam & Venetam nostri vocant, utique laricea potius est dicenda, nec Venetiis adfertur, sed ex vicino Comitatu Tirolensi ad nos transportatur: Cypria autem rarior est & carior, atque Venetiis in magnis excauatis cucurbitis huc transmittitur; cuius & portionem gratiose ad nos misit.

Quicquid vero sit de nomine, reliquæ etiam officinæ excusari merentur, quod viliores illam, communem, abiegnam,

gnam, fere non venalem habeant apud nos, sed seplasia-
rii potius minorum gentium. Ratum itaque sit, primam
esse & præcipuam Cypriam, alteram eius succedaneam, exi-
gua differentia, lariceam, tertiam communem, vulgarem,
abusiue Venetam vulgo dictam.

Cypria vero sub se complectitur etiam Chiam, Pon-
ticam, Lybicum, & aliis ex regionibus Orientis parabilem,
quæ tamen nomina non in usu sunt, & Cypriam nomina-
mus, (vt Venetam quoque quidam,) eodem iure ac opi-
um Thebaicum, rhabarbarum & senam Alexandrinam, &
alia eius generis.

Hic vero locus est, vt de Colophonia, a Colophone
vrbe Ioniz, seorsim quoque quædam addamus; resinam
Colophoniacam vocat *Celsus l. 5. c. 19.* Pari hæc cum tere-
binthina iare, & more eodem recepto, dicitur in hunc vsque
diem, neque id tamen sine æquivocatione, ex laudata di-
stinctione resinarum distinguenda. Olim enim ita dice-
batur resina liquida, seu ipsissima laxius dicta terebinthina,
teste omni exceptione maiori *Anazartheo l. 1. c. 93.* Hodie
vero pro resina sicca cocta accipitur, quam & picem Gri-
cam, siue Hispanam dicunt, officinæ Colophoniam quo-
que appellant, teste *Amato Lusitano enarr. 83. in l. 1. Dioscor.*
p. 86.

Sunt tamen, qui distinguunt aliter, quo de locus egre-
gius est apud *Job. du Boys in obseruat. in method. miscend. me-
dicam. topic. Sect. 1. cap. 7. p. 15.* vbi resinam, quæ e terebintho
sponte profluit, & solis calore condensatur, veram resinam,
& pharmacopœis colophoniam veram appellatam statuit,
friabilem, eamque sumendam, vbi simpliciter legitur. Ast
hæc rarissima est, resina puta terebinthinæ arida, eaque na-
tiua, nec apud alios occurrit facile, nisi quod *Cass. Bauhinus in
Pinac. p. m. 500.* notat, liquidam, quæ destillat, deinde paulatim
arescere, & sæpe cum thure afferri, & in templis cum eo suf-
fumigari, & inepte incensum, ipsum vero thus olibanum
appellari. Neque hoc nouum est, siquidem ipse animaduertit

Dioscorides, cap. de *thure*, thus in itinere adulterari resina pini.

Vel tacentibus nobis sponte hinc fuit differentia alia inter terebinthinam *veram*, & *quasi talem*, ac *communem*. Vera audit, non solum a regione Cypria, ab arbore terebinthina strictè sumpta; sed etiam ratione electionis, quæ notas omnes habet genuinitatis.

Non enim quoad nomen solum, verum etiam alias ob qualitates, ab inuicem differunt terebinthinæ species. Quæ de re *Casalpinus* Cypriam paulo crassiorẽ dicit & multo odoratiorem vulgari terebinthina, quæ ex larice habetur. Et de Chiz consistentia idem prædicat *Charas*, eandem nempe tam Veneta quam aliis minus liquidam esse in *Pharmac. Reg. Gal. Chim. p. 306.* contendens.

Lariceam nunquam durescere iam laudauimus. Abiegnam vero odoratiorem larigna & terebinthina, nec tam lentam & contumacem vt laricem esse, sed subito abrumpi, si intincto digito eleuetur, quidam tradunt. Ita eandem ex *Baubino* supra probauimus amariorem terebinthina vera & laricea, atque acriorem, sicque iis calidiorẽ & sicciorem. Pineam non ita leuem esse perhibent, quam quæ ex abiete, larice, & picea, sed ponderosiorẽ & grauiorem.

Adeoq; circa electionem harum resinarum variant Auctorum sententiæ. Quæ præstantissima sit, ex ratione arborum docet *Theophrastus*, primum locum ei tribuens, quæ ex terebintho habetur, spissæ namque & leuissimæ, odoreque gratissimæ. Secundo loco ponit eam, quæ ex abiete, larice & picea, leuiorem nempe ea quæ ex pinu, quam vltima collocat sede. Consentit & *Dioscorides*, omnibus resinis aliis anteponeus terebinthinam, & eundem in reliquis seruans ordinem cum *Eresio*, nisi quod resinam lentiscinam iis quoque interferat.

His contrariam fouere videtur sententiam *Galenus*, præ aliis resinis non terebinthinæ sed lentiscinæ primas deferens, & strobilinæ. Hos igitur autores qui conciliare a-

mant,

mant, Theophrastum & Dioscoridem de bonitate ac præstantia, Galenum vero de qualitate istarum resinarum loqui autumant. Sed facilis est decisio, si dixerimus, inter liquidas receptas terebinthinam, inter aridas mastichen præcellere.

Plinius lib. XIV. c. 20. quæ optima sit, ex ratione loci seu patriæ refert. Et hoc alii quoque faciunt auctores, Cypriæ, vel ut alii, & ipse *Galenus*, volunt, Chiz magis principatum e reliquis deferentes, & has dum dicunt, veram ex terebintho natam, quam ex insulis istis hodie ære solis accipimus, innuunt.

Contra ea alii has negligentes mirum quantum extollunt optimam faciunt lariceam, terebinthinam officinarum Germaniæ. Huius enim efficaciam & virtutes si non maiores, saltem æquales isti veræ esse credunt, ut hinc superfluum sit tantis sumptibus illam conquirere velle, quæ tamen nulla præ hac prærogativa gaudeat. Alii, siue hanc Venetiis ad nos deferri existimantes, siue veram inde venire persuasi, Venetam cæteris præferunt. Sed & hanc quidam de throno deiciunt, ut *Zwölfferus* facit, communem nostratam, lariceam sine dubio, in eius euehens locum.

In hac opinionum varietate medio tutissimi ibimus, ita, ut bene distinguamus singulas, nec uni soli omne feramus punctum, nec suam reliquis virtutem derogemus ac laudem. Habet omnino terebinthina vera aliquam præ cæteris prærogativam, si non aliam, saltem illam, quod suum cum istis communicet nomen. Præter hæc autem absurdum non est, quamlibet istius resinæ speciem, singularem, pro ratione miscelæ suarum qualitatum, habere vim, ob quam hinc vna reliquis potior æstimari possit. Hinc vera temperatior omnino, iuxta *Galenum* quoque, & moderatior est cæteris, cui proxime adiungi potest laricea, quippe quæ quasi gradualiquo in sapore & odore istam superat, & commode Cypriæ seu veræ substituitur.

Post has locanda erit abietina, utraque nempe & odoratior

rator & amaricantior. His enim attentis facile est cognoscere, qua ratione, quove respectu terebinthina, pro usu exigente puta, optima dici possit. Sinimus ceteroqui vnum; quemque suo abundare sensu, uti & *Febure l. c. p. 653.* communem præ aliis extollit quidem, pagina vero 659. in destillatione olei ætherei terebinthinæ hanc postponit Venetæ, propterea quod non tam subtile nec tam gratum odore saporeque præbeat oleum Veneta, quæ omnia ad modulum citatum fuerint concilianda.

Accedit & differentia ratione *pretii*, alia enim alia est carior. Cypria præsuperat lariceam, hæc vulgarem nobis dictam, quæ vilioris est commatis & pretii. De singulis hinc sobrie est sciendum, recipienda pro interno usu maxime Cypria, vera, hinc laricea, pro externo magis vulgari, qua chirurgi & mechanici vulgo videntur præcipue. Unde non de nihilo est, omnes istas terebinthinæ species in officinis commode nec excessivis sumptibus haberi, & uti, si ad manus sint, selectu. Sufficit vno verbo, ut id repetamus, eligere & recipere terebinthinam, quæ sit liquor pinguis, totus balsamicus, clarus, pellucidus, albus, acriusculus, odoratus, odorem terebinthi referens, quod prioribus duabus, Cypriæ & lariceæ proprium est; vulgaris spissior, minus clara, & pellucida, sed magis turbida, adeoque multum cedit nobilitate.

Denique nec affinia, exotica & nostratia, plane indicta dimittenda sunt. Pertinet enim huc *balsamum de Capaiba*, communiter dictum, quod pro terebinthina Indica haberi potest, eam enim maxime repræsentat, & in eius locum in topicis potissimum non raro hodie succedere solet, ne de balsamo de Peru & aliis plura afferamus. Hæc enim ipsa quoque resinam liquidam, ut gummi copal, & opobalsamum solidum, communiter dictum, siccam congenerem satis exhibent. Inter succedanea vero optima est mastiche.

Quod vero attinet ad terebinthinam formicariam, a nonnullis ita dictam, quo de videri potest *Estmullerus*, illa potius ad resinas aridas spectat, nec terebinthinæ nomen meretur.

CAPVT

CAPVT III.

De

Præparationibus Terebinthinae & utendi modis variis.

Terebinthis cruda & per se adhibita suis non careat utilitatibus terebinthina, magis tamen & frequentius in foro medico præparata, vel cum aliis remixta, in usum venire solet, tum ob commoditatem deglutitionis, tum ob alios vsus.

Cum enim crudus eiusdem vsus non cuius arrideret palato, nec ob eam, quam habet, formam & consistentiam, quavis tam commode adhiberi posset occasione; in hoc ipsi vt subuenirent necessarium putarunt medici. Et in eo non tantum Galenici, sed & Chimici sese exercuerunt, quorum præcipuos præparandi exhibendique modos ex ordine videbimus.

In principio statim se nobis offert eiusdem **DEPURATIO**. Vti enim si *ἀπρόθευ καὶ ἀγνή*, & statim sua sit, nulla depuratione eget, quemadmodum hodie purissima iam habetur; ita si talis non suppetat, vel sola subsidentia succurrere licet. Valet id itaque solum de turbida, siue aliqua remanserint particulae lignæ, siue accedant terreae aliæque impurae; non enim nisi pura expetitur, vnde fere de communi spissiori id magis intelligendum fuerit.

Hanc in rem iubet *Henricus von Schennis in Pharmacopœia Rudolph II. Imper. Spagirica p. 273.* vasa lignea laricea aut querna ea replere ad summum, & in finum equinum reponere; sic enim purum ab impuro separari, & duos quasi liquores adparere, quorum alter clarus supernatet, alter vero turbidus in fundo resideat, hinc ab inuicem discernendi, quod ob blandum calorem digerentem citius procedit,

D

Vt

Vt pura terebinthina habeatur, iubet *Conradus Cus-rath* pyxidi capaci lignæ, cuius fundus sit tenuissimus & quasi transparent, indere terebinthinam, & ad solem vel fornacem suspendere; ita pertransit & exstillat purissima pars. Hoc quidem bene succedere expertus est *B. Ludouici*, sed superfluum esse docet idem in *Pharm. Diss. 1. p. 321.* cum clarissima in pyxide terrea superstet & acquiri possit.

Purificata sic terebinthina vltius hinc ad vsum præparatur medicum. Simplicissimus vero eam præparandi modus est, qui fit per LOTIONEM, quam, vt temperatiorem, tum pro interno, tum pro externo vsu, redderent, medici, commodam iudicarunt, forsitan mechanica butyri inducti, lotionem depurari soliti quoque. Loto autem dealbat, & nitidiores partes facit, quare terebinthina lota albicat inde, partibus aqueis & sulphureis porosioribus confusis, & mitescit vna.

Lauatur autem, ex mente Autorum, vel aqua solummodo simplici, vel etiam adpropriata destillata, & quidem quæ hanc vel illam partem respicit, vt etiam in externis aqua vulneraria. Sic etiam, vt gratiorem reddant, aqua odorata fragranti quidam instituerent lotionem solent, vt facit *Crato* in pilulis suis de terebinthina ad præseruandum calculum, eam aqua rosarum lotam præscribens. *Ludou.* tamen *Penicher* in *collectan. Pharmaceut. Class. II. §. 50. p. 37.* damnat in terebinthina, (Veneta imprimis, quam nomine exprimit,) lotionem, ex ea ratione, quod inde sal eius balsamicum euanescat. Minus necessariam saltem existimat *B. Ludouici l. c.* quod verissimum est, & superfluum hinc, si pura sit, elegans & nitida.

Succedit huic haud maioris fere adparatus operatio, quæ COCTIONE fit. Solent Pharmacopœi recipere libram, vnâ terebinthinæ, eamque in libris viginti quatuor aquæ tamdiu coquere, donec odorem amittat & inspissetur, adeo, vt refrigerata digitis in puluerem teri queat, ac vitri in mo-
dum

dum distillat tusa. Liberum in hac coctione relinquunt, in sua pharmacopœia Augustani, si quis alembico superimposito, oleum coctione exhalans a fuga retrahere velit. Et per hanc cocturam terebinthina, in proprie dictam resinam redigitur, & fere tota a striete sumta nostra recedit, resina; Græcis *Φευντή* quasi frixa vocatur, vel *vsta* quoque.

Aptior sic præparata creditur terebinthina ad alias subeundas præparaciones & composita; a multis vero iners magis & inutilis æstimatur ista coctio, eo quod multum virium vna sic amittat terebinthina. Et procul dubio sic se res habere videtur, siquidem omne propemodum, quod possidet, sal & sulphur volatile calore profugatur, quare fieri non potest, quin etiam vires eiusdem imminuantur; vnde & resinam sic præparatam non differre a colophonia seu capite mortuo post distillationem residuo, orbat o-
leo penetrantiori, adserunt *Zwölfferus* & *B. Ludouici*.

Vtut vero non sint reiiciendi, qui natiuam potius resinam aridam, seu quæ in arbore solis æstu exsiccata est, recipere malunt, aut eam quoque, quæ domi seposita sicca sit, quippe quæ non omnem deponunt odorem, adeoque nec agendi potestatem; habet tamen reuera etiam suos vsus coctio, siquidem ad puluerum formam sic magis quadrat. Locum hinc habet interne, si ex tempore in pulueres v.g. ad gonorrhœam illam expetamus, formæ huius siccæ gratia; externe vero, si magis siccandi scopus intendatur in vlceribus, vel adstringendi, vti & ad suffitus ipsos, & alia.

Hinc non noua est hæc coctio, sed reuera antiquissima, ipsi *Coo l. de vlceribus c. 8. t. 8.* celebrata, & quidem in vino facta, donec dura fiat instar mellis cocti, & *Actio Serm. 1.* & latius *Serm. 13. c. 99.* cum aquæ sufficienti quantitate. Gratis vero habetur resina colophonia hæc, in capite mortuo, quod vocant olei destillati. Ad consistentiam ergo necessaria est coctio acquirendam, exemplo emplastrorum omnis generis terebinthinatorum, necessaria ad fixas obtinen-

das partes, quando volatiles non expetimus; quod & exemplo mellis verum est, ad huius instar enim & mechanicam eadem peragitur.

Præterea celebris apud autores, in primis Galenicis, est terebinthinæ solutio, quæ cum vitello oui peragitur, simplex quidem, at non iniucunda, nec usu suo carens, ob homogeneitatem substantiæ oleosæ terreæ eueniens. Quod si enim cum eiusdem sufficiente quantitate misceatur & in mortario ad vsque terebinthinæ dissolutionem partiumque separationem ducatur, albescit ad instar colostri, seu emulsionis; cui deinde adpropriatam addunt aquam destillatam, & variis in morbis adhibent non sine successu. *Sennertus* oleum rosatum addit vitello; *Platerus* autem mel & vinum etiam admiscet, melius sic solui terebinthinam arguens, quam mixturam hinc non semel præscripsit & efficacem sæpius expertus est in suis observationibus. Hæc a quibusdam terebinthina potabilis nuncupatur, & tanquam digestivum etiam in vulneribus commendatur. Vid. laudatus *Penicher l. c.*

Sicut vero terebinthina per se adsumta multis corporis imbecillitatibus vtile atque accommodatum est medicamen; ita longe magis cum aliis mixta & composita mirabilem suam prodit efficaciam, gratioremque longe ac iucundiorum sui reddit usum. Neque enim hodie adeo frequenter per se interne adhibetur, cum nauseosa paulo & facile faucibus adhærens omnem perdat gratiam; nec aliis admiscetur, nisi ubi commode celari possit & occultari, ut in pilulis, & aliis dicendis.

Enimvero ob peculiarem quam habet consistentiam non omnem subire potest mixtionem aut compositionem. Commode includi potest *BOLIS*, modo non peccet in quantitate, alias enim, quam ex dicta ratione nancisci deberet gratiam, amittit potius. Hinc commodius & satius *ELECTUARIA* ingreditur, quamvis & id hodie in extemporaneis rarius fieri soleat, sed magis in fermenta-

tis,

ris, qualia sunt duo ista celebria, theriaca Andromachi & mithridatium, quæ vtraque eandem recipiunt. Mixta i-
bi cum melle reliquis excipiendis inseruit, vna vero cen-
traliter resoluta non parum vires balsamicas exerit, & ac-
cessione sua totum compositum non parum iuuat. Propi-
nari tamen & alias in bolis & electuariis posse, exempla
habet *Mynsichtus in Armamentar. Sect. XV. p. m. 248. f.*

Maxime omnium & commodissime exhiberi potest,
quod toto die in praxi fit, in PILULIS. Nam hoc præ aliis
habent priuilegium pilulæ, vt occulendo ingrata, amara,
acerba, fœtida, viscida, resinosa ipsa & mercurialia iucun-
diora efficiant medicamenta. Parantur autem vel ex sola
terebinthina, iuxta sententiam citati *Penicheri l. c.* pilulæ, si
in aqua raphani rusticani ad duritiem vsque coquatur, &
hinc exinde formatæ loco frigido seruentur; veletiam
cum aliis. Tales sunt pilulæ de terebinthina *Cratonis*, ad
præseruationem ab arthritide, a calculo &c. item *Mynsichti*
Sect. VI. armam. p. 151. & apud Autores non vnos eiusmo-
di plura leguntur exempla.

Quod primo loco ponendum fuerit, ingreditur et-
iam *spiritus vinosos compositos*, eosque in balsama redigit, &
viribus suis insigniter auget. Exemplo sit aqua Anhal-
tina, vulgatissimi in his terris vsus, cuius descriptio habe-
tur in *Dispensatorio Noribergensi*; pro internis & externis
vsibus, in affectibus frigidis diuersis.

Præcipuus quoque eiusdem cum aliis mixtæ atque
compositæ vsus est in medicamentis topicis & externis.
Instar omnium sint, quibus maximum momentum addit,
VNGUENTA atque EMPLASTRA. Hinc plura sunt in offici-
nis vsitata & recepta terebinthinam recipientia, modo pro
basi, modo pro iuuante, modo pro excipiente. Et con-
uenit sane pro communi vsu & priuato, seu specifico, ob
symbolicam naturam cum oleis, cum cera, cum melle & a-
liis remixta, & vires suas socias iungens.

Vnguentorum exemplum præbet *digestiuum chirurgo-*

D 3

rum.

rum, satis ob usum, quem præstat, in vulgus notum, & tum alibi, tum *l. de compos. medic. D. Parentis, Sect. III. c. 3. p. 181.* descriptum. Habet quoque tale *digestivum* ad venenata, *Cunradus* constans ex *succin. ppt. ℥℥. terebinth. ℥ij.* solutis leni calore, & addito paululo *ol. lini*, vel *cera*, ut fluidius fiat; quod calide cum carptu adplicare iubet. Sic *Londonenses* in sua *pharmacopœia* exhibent *unguentum resinum* dictum, ex *resina pini purissima, terebinthina, cera citrina* lota, & *oleo ana* mixtis compositum. Ingitur seorsim *unguenta mercurialia*, viscedine sua balsamica dissocians & discontinuans plane, accedente tritu, *mercurium viuum*, adeoque & vulgato termino extinguens, quod sane est longe commodissimum.

Non minus *emplastra* quoque eam tanquam basin recipiunt, siquidem cum *cera* iuncta anima quasi *emplastro*rum vulgarium est, & excipiens communissimum. Quid? quod sola hæc duo, leni calore sibi inuicem arctius sociata, simplicissimum quidem constituent *emplastrum*, sed in *fonticulis tractandis*, si vel sola addatur pro *tinctura* & usu *ærgo*, pro *vesicatoriis* vel solæ *cantharides*, (quod *ἐυνδερσον* Germano se debere fatetur *Martianus*), aliisque casibus utilissimum. Et hinc *cera emplastica* quoque fit, *Baumwachs* vocant, pro *insitione arborum deliganda* ac *tutanda*, ut simplicissima, sic longe optima.

Ad horum modulum, pro *lubitu*, *emplastra* confici possunt magis composita, si duo ista cum *unguentis*, *resinis*, aliisque *miscibilibus* iusta iungantur *proportione*. Et cum hæc ob suam *latitudinem* non nisi ex æquo & bono sæpe *diudicari* possint aut *definiri*, in eorum *præscriptio*ne solet quandoque *addi*: *cera* & *tereb. q. s. inprimis*, si quibusdam v. g. *gummatibus* in *subsidium* duntaxat *admisceantur*. Attamen non *exclusivè* hæc *intelligenda* sunt, siquidem & *sine cera* & *terebinthina* *emplastra* confiunt non pauca, vel saltem *terebinthinam* non ut *excipiens* agnoscunt, sed *propria sua laude* & *virtute iunctam*.

DE TEREBINTHINA.

3

Etiam. Tacemus emplastrum ex sulphure & terebinthina, ad ictus scorpionum *Dioscoridi* laudatum, quale & ex sulphure & pice *Galenus* ischiadicis commendat, & alia.

Sufficere prima fronte videri poterant preparationes hæ terebinthinae, ac compositiones pro urgente necessitate, imo & sufficere multa per secula; veruntamen his non contenti chimici, ulterius eam nec frustra examinare tentarunt & intimius cognoscere. Igni proinde eandem subiecere, & ut alias resinas per extractionem e suis prolexerunt corporibus; ita hanc nativam in sua resolvere elementa fatigere.

Sic non vno eodemque modo resinæ huius instituitur DESTILLATIO, quæ vel via sicca fit, vel humida. Ista iterum consideranda est, quatenus per se & simpliciter destillatur terebinthina, vel accedentibus aliis operationem hanc iuvantibus.

Primus si eligatur modus, & terebinth. q. v. v. g. lbij. iij; indita retortæ vitreæ in arena locatur, adpositol. a. vase recipiente. Hinc subdito prius lenissimo igne propellitur (1) *oleum æthereum*, cum phlegmate aliquo iunctum, quod communiter *spiritus terebinthina* nomine venit; postea, ignis gradu aucto successivè & bene observato, reliqua quoque proliciuntur, nempe (2) *oleum flavum*, (3) *rubrum*, & (4) *balsamum crassum*, non multum ab oleo picis distans, quod igne fortissimo dum debet propelli, ob illapsas antequam e retorta exierit fuligines, rubrum evadere vult *Lemery in curs. chim. Part. II. c. 16. p. m. 614.* Signum distillationis sufficientis esse, si nebula aut vapor observetur in retorta, aut humiditas *pharmac. Spag. Rud. II. Imp. l. c.* traditur.

Singula autem hæc vel mutatis vasis recipientibus excipiuntur, vel relicto, primo quod fuit adpositum, modo sit longius & angustius. Ita enim eo ordine quo prodeunt sibi inuicem supernatare, & eundem quoque in ætuitate virium servare dicuntur a *Charas Pharmacop. Reg. Gal. chim. c. 42. p. 706.* *Le Mort in Chymia p. 84.* per duos dies hanc
con-

17.

0



continuat destillationem, sed ignem adhibet lenissimum, eadem tamen omnia inde accipit.

Sunt, qui per cucurbitam quoque hunc destillandi modum instituunt, quo casu sensit inde productum spiritum balsamum sulphuris aut oleum lini redolere *B. Ludouici*, maiorem tamen vna alteraue drachma ex libra vna eius esse quantitatem, quam si ex vesica propellatur, asserit idem in *Pharm. Diss. I. p. 322.* utpote in accurate annotanda quantitate productorum curiosissimus.

Plures sunt, qui procedendi hunc modum præ aliis omnibus commendant, eo quod sit simplicior, nec terebinthina sic aliis inquinetur, sed sibi relicta potius, etiam puriora sui que iuris existentia prodat destillata; modo, ut par est, ignis gradus & moderamen rite accurateque attendatur.

Hoc vero nisi fiat, & ignis nimis intendatur, facile ipsa collum retortæ transcendit resina tota confusa, citra *Αλκυον* debitam, ut hinc frustranea contingat destillatio. Id ut præcaueant alii, suadent destillandæ terebinthinæ filamenta, cineres, arenam vel alia addere, quibus transitus *ορεζασμωδης* eiusdem coerceatur. Et hæc si iungere animus est, vel istud fieri debet ante omnem operationem, ut vna cum terebinthina indantur in retortam; vel, ut *Zwölffero* placet, in *Mantiss. Hermet. p. 446.* si destillatio fiat ex cucurbita, prius leni igne spiritus seu oleum æthereum propellitur, & hinc demum residuæ & calidæ adhuc resinæ semoto alembico ista adiiciuntur sufficienti quantitate, ad siccitatem usque, & ulterius in destillando pergitur.

Superuacuum & hanc quin & perniciosam non pauci proclamant procedendi methodum, priorem potius præferentes. Dubium enim iis non est, quin admixtis eiusmodi peregrinis facile turbentur resinosa particula, ut & inde diuersa permisceantur aut confundantur olea, aliamque acquirant faciem ac debebant; quod in illo processu ab igne, iuxta præscriptas leges administrato, minus sit metuendum.

Præ.

Præcauetur hic fortuitus & facilis in destillatione ad-
scensus, si *via humida*, seu cum aliis affusis liquoribus de-
stilletur. Idem vero, quod de sicca diximus, de humida,
hac valet; scilicet vel simplicem eam esse ac minoris ad-
paratus, vel magis compositam cum aliis. *Simplex* est, ubi
vel sola aqua simplex additur terebinthinae destillandæ, vel
alius etiam liquor. Recipitur libra vna vel altera resinæ,
cui in vesica adfunditur aquæ simpl. puræ q. s. & hinc igne
subdito successiuis gradibus propellitur oleum, quod nihi-
lo debilius esse altero ex cucurbita propulso, sed odoris &
saporis pro interno vsu gratioris, euincit *B. Ludouici c. l.*
Reiicit hunc modum *Zwölfferus*, ex ea causa, quod aqua non
exiguam quantitatem spirituum & virium terebinthinae de-
voret, & arcte secum retineat, vnde postea spiritus in quan-
titate & qualitate diminuatur.

Petr. Io. Faber autem *l. c.* recipit loco aquæ spiritum vi-
ni optimum alcoolisatum, & cum terebinthina vnitum in
phiala vitrea satis ampla & magna agitari tamdiu iubet, do-
nec in albedinem summam reducantur. Hæc seposita in
loco frigido hypostasas demittunt, quibus sepositis aut
demissis supernatat omnibus spiritus vini, quem sequitur
terebinthina in oleum dissoluta flauæ coloris, & has tandem
ultimo sal terebinthinae albissimi coloris, separandum a re-
liquis & exsiccatum ad vsus suos reponendum. Duo vero
priora iterum simul permiscet, & in balneo tepenti per quin-
decim dies, phiala optime clausa, ne spiritus exhalet, dige-
rit, & posthæc demum destillationi submittit, per debitos &
successiuos ignis gradus. Quibus obseruatis spiritum te-
rebinthinae vna cum spiritu vini & phlegmate primo, hinc
aucto igne oleum flauum & tandem rubei coloris acquirit,
quæ duo posteriora per retortam bis vel ter denuo recti-
ficat.

Composita maiorisque adparatus *via humida* instituta
destillatio dici potest terebinthinae, quam *Febure l. c.* exhi-
bet. Recipit tereb. Venet. clariss. odoratiss. & fluidiss. lbūx.
E infun-

infundit in vesica aqua rosar. mens. xii. vin. alb. mens. iix. pomor. citr. in orbiculos sector. numero xxx. & hæc ad modum aquæ vitæ destillat prius inter se mixta. Accipit ex hac destillatione (1) oleum æthereum subtilissimum, efficacissimum & odoratissimum; (2) spiritum diureticum excellentissimum, & (3) phlegma seu aquam, quæ cum saccharo puluerisato mixta præbet etiam oleum, & ad hanc iterum inservire potest operationem. Describit etiam *le Mort. c. l.* oleum terebinthinæ compositum, quod exinde peti potest.

Notandum quoque hic, quod tali modo, destillatione humida, ab aliquibus rectificentur ea quæ sicca fuerunt, propulsa in operatione. Adfunditur his cucurbitæ vitreæ inditis aqua pura fontana, in qua manipulus vnus salis est solutus, ad duorum digitorum transversorum spatium, & ex Mariæ balneo l. a. denuo destillantur. Vid. *Pharmac. Spagy. Rudolph. II.*

Conrad. Cunnath ex mellis pur. part. ij. & tereb. part. j. producit spiritum terebinthinæ mellitum; sicut *Schræderus* quoque in *pharmac. med. chim.* oleum terebinthinæ cœruleum parat in vesica cuprea ex scobe radicum pinguium, abietinarum cum flor. chamora. affusa aqua q. s. His fermentatis per dies aliquot, terebinthina abieti inhærens tincturam veneris ad se attrahit, quam in olei eius prolestatione secum in alembicum rapit sibi; per omnia miscet. Cœruleum hoc oleum esse a floribus chamomillæ recte censeret *B. Ludouici* in *MSS. ad Schröder.* sed, quod notari meretur, non ultra semestre durare, & hinc redire colorem album ac odorem spiritus terebinthinæ, qui prius chamomillam referebat, observatum est, tum si aer admittatur, tum per se quoque.

Minime hic est prætereundum admodum curiosum terebinthinæ atque resinæ examen, quod in his suscepit, Academia scientiarum Gallorum Regia, referente id in *eiusd. historia Io. Bapt. du Hamel lib. III. Sect. V. cap. 1. num. 2. p. 252.* Tres aut circiter terebinthinæ Venetæ libræ, tres tantum vncias

uncia cum semisse liquoris, XXXIX. & semis olei præbuere. Eadem fuit ratio colophoniz; nihil fere salis ex utrisque prodiit; sed e resinæ lbij. salis zivb. educæ, olei ꝑxxxvj. & ꝑß. & acidi liquoris ꝑiv: qui primum exiit liquor, folia piceæ arboris sapore & odore retulit.

B. vero Ludouici ex lbij. terebinthinæ per vesicam cum aqua destillatis, spatio sex horarum, accepit spiritus clarissimi ꝑx. xj. vix xij. ab aqua resinam fortiter sapiente, brevi tamen situm contrahente, tritorio quas separauit. At per se ex cucurbita eadem quantitate, trium horarum spatio, spiritus cito cum tantillo aquæ amaræ & acidæ transeuntis ꝑxij. & hinc, remoto alembico, adiectis cineribus vel sabulo, inde præterea prolexit oleum flauum, & tandem rubrum, quæ coniunctim ꝑvi. ponderarunt. Hæc ipsa, nempe, utpote classica & recepta, malimus probatissimi viri aliorumque, quam nostra idem confirmante, experientia & *ἔγχεσθός* fideli recensere.

Quæ post peractas destillationes in fundo vasorum, ex quibus propulsa fuit terebinthina, remanet colophonia, vlterioribus inseruit præparationibus chemicis. Hæc, ut ex vesica commode auferri queat, istud præcipit, strategema eruditissimus B. Ludouici. Remoto nempe, post destillationem spiritus tereb. factam, statim capitello, vesicæ frigida infundatur, ut totum in vesica tepescat, manusque inseri queat; hinc eximatur colophoniz quantum potest, circiter lbij. (a. lbij. destillatis) Residuum adhærens non abradendum in vesicæ detrimentum, sed destillanda potius mentha, ruta, melissa &c. ita facile eueritur & implicata herbis eximitur.

Variat hæc ipsa, pro diuersis terebinthinæ speciebus, grossior e vulgari, delicatior & magis pellucida e reliquis. Hanc vero resinam siccam, coctam, siue frixam, colophoniam dici iam Pergamonus notauit l. 3. de comp. med. u. γ. omnium siccissima, inquit, est, quam nonnulli frixam, alii Colophoniam vocant.

In cineres autem & postea in lixiuum redactum istud caput mortuum si euaporetur, inde haberi potest sal fixum, paucum tamen, ob eam rationem, vt *Faber l. c.* sibi persuadet, quoniam tota substantia sulphurea est & volatiliū partium, ideoque inter comburendum fere tota euanescit. Quod si quis autem maiorem huius salis desideret quantitatem, is vt colophoniam magnam addat copiam resinæ, & ex ea in cineres vna cum ista mutata sal extrahat, arteque & methodo communi depuret, idem auctor est. Tacemus quosdam ex hac colophonia spiritum acidum igne aucto & intenso propellere, & oleum obscurum.

Observatione dignum est, quod *Le Mort* de duobus primis liquoribus, in destillatione terebinthinæ prodeuntibus, animaduertit *l. c.*, quod in colore non solum differant, verum etiam contrarias obtineant particulas, ita vt, si misceantur inter se inuicem, agre admittant mixturam, & se inuicem præcipitent, quasi mutuam efferuescentiam ineuntes.

Nec minus egregium est experimentum, quod habet *Boyleus, L' Emery l. c.* & alii, si oleo terebinthinæ oleum vitrioli permisceatur, sponte sua incalescunt, & si oleum vitrioli sit fortissimum, oritur efferuescentia. Ex hac miscela *Maregravius in Collect. Chim. Leidens. c. 274, (Io. Conr. Barchusen pyrosoph. lib. III. sect. 5. c. 3. p. 306. Maesium nominat,)* narcoticum par ipsi opio confieri posse arbitratur. Miscentur ol. vitriol. ver. terebinth. per se destillat. a. $\text{℥}\text{ss}$. in cucurbita altiori paulo, sicque vitrum crebrius agitando in momento maxima excitatur efferuescentia, quæ sæpe etiam vitrum rumpit, & in flammam erumpit, si ellychnium adhibeatur. Coniungit in hac efferuescentia oleum vitrioli sulphur suum cum oleo terebinthinæ, fitque balsamum rubicundum, & odoratum, opium referens. Hoc in ollula munda cum aqua pauca paululum coquitur, & sic separato oleo terebinthinæ & acido vitrioli relinquitur balsamum

num crassum, ex sulphure vitrioli productum, quod vulgo sulphur vitrioli narcoticum audit, eademque cum opio vires, sed mitiores, habet, vnde & huic præfertur, & præcipue in pectoris affectibus de prædicatur. Dos. gr. i. ij.

Cum spiritu terebinthinæ ab aliquibus præparatur *rubinus* seu *tinctura sulphuris* admirandæ virtutis. Affunditur spiritus floribus sulphuris, & lenta digestionem extrahitur, rubinus, qui leni destillatione separatur a suo menstruo, & denuo pariter per spiritum vini extrahitur separaturque, vnde vera sulphurea tinctura resultat. Vid. *Freitag. auror. Medic. Chim. & Galen. lib. II. c. 11. Libavius syntagm. arcan. chim. Rolsincius in Chimia, & alii.*

TINCTURAM terebinthinæ facit *Schröderus* ex oleo flavo illius, quod leniter euaporat in scutella, hinc erectante colophonia rubentissima tincturam cum spiritu vini extrahit, quo iterum abacto & remoto balsamum relinquitur, pro usu externo proficuum. Eodem modo fit *balsamum terebinth.* *Myns.* Euaporatur oleum ad vitri vel rubini translucentis consistentiam, extrahitur cum spir. vin. & in MB ad dimidium abstrahitur. Dos. gtt. v. ad 3ß. Confer. qui prior hæc describit, *Finckius in enchir. dogm. Herm. c. 29. p. 152.*

Imo vt ex succino, ita & ex terebinthina, & congeneremastiche, fieri potest ESSENTIA eximia, affundendo terebinthinæ Cypriæ, vel laricæ, paulo sicciori annosæ, vel recentis, vi *Frisatum*; Leni digestionem, imo & per se, partes subtiliores extrahuntur pro lubitu. Præstat in ichorescentia lymphæ, gonorrhœa, fluore albo, & vulneribus ac vlcibus ipsis sordidis. Facile etiam compositam balsamicam reddere licet, addendo succinum, mastichen, myrrham, &, si placet, pro usu interno etiam terram laponicam.

Commode autem ex terebinthina destillata misceri possunt vel cum aliis, in mixturis, balsamis & linimentis, internis & externis, vel inter se, quod facit sæpius laudatus

tus *Faber c. l.* Spiritum terebinthinæ, oleum flavum rubeumque, sal volatile & fixum simul miscens, & seruans ad vsum admirandum in morbis chronicis.

Memorari hic debet, quod *Boyle Diss. firm. 2. §. 56.* notauit phænomenon; spiritum terebinth. communi spiritui vini non misceri, si vero super sal commune decrepitatum prius destilletur, optime. Terebinthinæ oleum repetita destillatione tandem in coagulum abire obseruat *ibid. §. 50.*

Concludemus hæc cum obseruatione non minus iucunda, quam ex *Crollio* citat nunquam satis laudandus vir *B. Ludouici* in dicto *MSS.* Scilicet spiritum terebinthinæ, etiam rectificatissimum, si aliquandiu digeratur, sponte rubescere: imo, si tunc per annos aliquot reponatur, flauere, aut ex inferiori parte crassescere instar tenuissimæ terebinthinæ. Omnia hæc confirmat autopsia, experientia & ratio; olea enim nihil sunt aliud, quam resinæ liquatæ, attenuatæ, hoc loco separando diuersim vnitæ, vnde sensim atque sensim spissescunt, & colorem intensiorem acquirunt.

Vti vero alcalici salis presentia per acida fortiora, centraliter quasi debilitato sulphure admissa, efferuescentiam excitantia, demonstrari potest; ita & per alcalia eruere, & sulphureis vinculis liberare idem annisi sunt artifices. Sic hoc nomine impensum legimus & spiritum terebinthinæ, p. j. ad salis *Æri* p. iii. recepta, digerendo ad coagulationem vsque, sufficienti temporis spatio, obtinendo hinc sale volatili, quo de leg. *Experim. Chim. de sal. volat. plant. c. 2. p. 19. f.*

Imo & ex iisdem fundamentis & ingredientibus parare licet elixir proprietatis balsamicum, & balsamum sulphuris aliud delicatum polychrestum, ipsiusque tincturam iam laudatam, adeoque & remedia alia plura egregia. De balsamo hoc, saltim vulgari, interno & externo egregius locus extat apud *Hamelium l. 2. de corpor. affectionib. c. 4. p. 409. f.* qui itidem spiritum terebinthinæ repetitis destillationibus

bus in stabilem substantiam concrefcere fcribit, *l. c. l. r. c.*
7. p. 157. Nos vero hæc & fimilia in aliam forfan occasionem
 latius differimus euoluenda.

CAPVT IV.

De

Terebinthinae Vfu & Abufu.

Quod si vllum ex simplicibus, certe, ob suum quem
 præstat vsum, aliis contra sese offert atque com-
 mendat terebinthina, tum per se, tum præparata,
 & mixta roborataque aliis. Siue enim internus conside-
 tur, siue externus, siue medicus, siue mechanicus, sua fem-
 per huic manebit laus resinæ, vt ex merito hinc suo & opti-
 mo possit dici iure polychresta.

Calefacit terebinthina; quod omnes resinas facere iam
 dudum obseruauit *Dioscorides*, ob sulphurearum & balsami-
 carum particularum prædominantem actiuitatem. Quam-
 uis autem in calefaciendo & roborando non difficulter aliis
 palmam cedat, & vel ideo a *Galeno* ipsi anteposita sit resina
 lentiscina; cum tamen sit partium tenuium, & sale volati-
 li sulphureo abundet, dubium non est, quin particulas M.
 S. volatiles rarefaciat atque exaltet, huiusque & spirituum
 motum promoueat.

Hinc ex eodem respectu *siccatur & abstergit*, ob amaritudi-
 nem, quæ ipsi blandia inest, atque adeo in affectibus a cau-
 sa frigida oriundis, & vbi absterfione opus est, hinc inde
 præscripta legitur ab autoribus, interne & externe. Habet
 in se acidum & alcali illigatum resinosis, non vero sulphur
 est acidum. Inter absterforia omnia excellit ac præualet.

Terebinthina *aperit, attenuat, incidit, resoluit*; Aperit
 particulis suis salino-sulphureis vias ductusque obstructos,
 & remoras tollit; attenuat & incidit pituitam viscidam len-
 cat,

tam, resoluit humores crassos atque concretos, & in motum citat. Vnde in difficilibus & antiquis venarum mesaraicarum, hepatis & renum, (adde & vasorum spermaticorum, vteri, lienis,) obstructionibus lente expediendis, non dari hac ipsa præstantius remedium scribit *Rolsincius de Purgant. veget. Sect. XIV. c. 3. p. 336.* Sic apud *Freitagium l. c.* quidam quinquies exhibendo balsamum sulphuris terebinthinatum cum decocto vrticæ obstructiones splenis soluit, & syelismum, materia ad vias urinarias translata, curauit.

Hinc & terebinthina purgat, & ad aluiduca plerumque relata legitur medicamina. Pollet nempe & hæc acrimonia quadam salino-sulphurea, qua mediante & humores liquat, & intestinorum tunicas stimulans ex corpore expellit atque eliminat. Inter cholagoga eam recensent non pauci, at vero pituitam falsosque humores, & quicquid in primarum viarum ductibus, iecoris, lienis, renum & urinariorum meatuum vasis hæret, simul educere alii edocent.

In senibus quoque optime & sine noxa purgandi sine in usum vocat *Galenus*, crudam eandem magnitudine nucis ponticæ & amplius propinans, in quo ipsum *Paulus* & plures alii e veteribus sequuntur. A quibusdam ad $\text{zj. } \frac{3}{8}$. ne dicamus vltius, exhibetur, quam in aqua prius nouies lotam, hinc in pilulas formatam, *Rhætos* eorumque vicinos in usum vocare testatur *Schennifus l. c.*

Notandum tamen hic, habere quidem terebinthinam non tam Venetam, loquendo cum vulgo dictam, quam Cypriam veram, vel lariceam, vires purgantes ad $\frac{3}{8}$. dosi ab autoribus protracta; illum tamen usum & dosin paulo esse rariorem, imo inusitatum in praxi selecta, & purgandi sine, recte asseritur, idemque notauit iam *Amatus Lusitanus*, hodie, inquit, non tantum ventris soluendi gratia, quantum renum expurgandi causa, ieiuno stomacho propinatur. *l. c. p. 86.* Melius vero in pilulis cum aliis, quales ex dictis sunt *Cratonis* aliorumque, vsurpatur & commodius. Hoc ipso tamen non negatur vsus leniendi,

DE TEREBINTHINA.

41

di, etiam minori præbio. Ita a *B. Ludouici* terebinthina laricea ad ʒb etiam propinata in tenerioribus aluum bis terue mouit, vrinam autem & sabulum fortiter. *Mynsib-tus* vero exempla quoque præscribit cathartorum terebinthinatorum in electuariis & bolis; vt & nonnulli duas vel tres terebinthinae drachmas cum rhabarb ʒj asperso saccharo in forma boli exhibent.

Patet autem vna ex dictis, terebinthinam esse quoque *diureticam*, seu promouere insigniter fluxum vrinæ, eiusque temperare ardores. Quatenus scilicet particulae eiusdem salinae maritatae & immersae sulphureis lympham a sanguine fundunt, separant, & excitato calore poros dilatant, vnaque stimulum addunt vrinæ, vt profluat. Præstat hæc potenter exhibita in bolo, colostro seu emulsione, pilulis, spiritu & oleo, vno verbo omnia huc κατ' ἐξοχλῶ spectant, terebinthinata.

Neque obstat, quod *Helmontius* scribit, non nisi languida esse terebinthinae in dysuria & lotii suppressione auxilia, *l. adit. præcluf. p. m. 446*. Diffundi enim vires eiusdem & penetrare intime in massam sanguineam, phenomenon vrinæ violacei odoris & alia confirmant satis.

Porro etiam hæc non parum contribuunt, quod inter *lithonriptica* adeo decantata sit remedia terebinthina. Cum enim non solum sulphure volatili resinoso & sale sæta inter resolventia calculi magis actiua locum habeat, sed & simul aluum laxet vsurpata, (quod in nephriticis pro beneficio habetur,) specificum in calculi antidotis omnino meretur locum. Impedit & præseruat calculi generationem, caute adsumta, tartarum resoluit, imminuit & ad exitum disponit, concreescere prohibet, nervos & spiritus roborat, sicque non vno modo utilis atque proficua hoc deprædicanda venit casu. Idque præcipue, cum præter ea quoque sit

Summe *traumatica*, quo nomine non in calculo solummodo, fibras blande demulcens & roborans, sed & aliis mirum quantum se commendat. Balsamica est & emplasti-

F

ca,

ca, particulis sulphureis, oleosis, roscidis, vinctuosis & glutinosis gaudens, quibus positus insignis eiusdem in vulneribus & vlcibus consolidandi ac demulcendi vsus facile colligi potest. Hinc locum inuenit in vulneribus & vlcibus simplicibus, sinuosis, fistulosis, internis abstergendis atque curandis; hinc in resoluendis contusionibus, hinc in ipsis vlcibus pulmonum, abscessibus, phthisi atque vomica extollitur, & hac ratione vsu pectorali se commendat.

In his enim mire exerit virtutem suam abstergentem & ficcantem, cum aliis v. g. fl. sulphur., vti & aliis pectoris affectibus, inprimis a causa frigida & materia tartarea ortis, vt asthmate, orthopnoea &c. si catarrhi tenues non adsint, conuenit. Ipse *Dioscorides* tussi ac tibi prodesse per se aut in eclegmate ex melle, & vitia pectoris expurgare reliquit. Sic ad asthma & hydropem pilulas ex terebinthina Schröderi proficuas esse negari nequit. Vt taceamus balsamum sulphuris terebinthinatum vehementer celebrari passim in affectibus pectoris atque pulmonum; imo hoc ipsum quod præstat, maximam partem debetur admixto oleo terebinthinæ.

Laudare tamen hic obiter possumus vsum eius *paregoricum & anodynum*, quem partes demulcendo doloresque sedando sic præstat secundario. Imo vero etiam primario, si huc reuocare velimus sulphur vitrioli, seu balsamum narcoticum Marcgrauii, in præcedente capite descriptum, & ob anodynam, quam cum opio certo respectu parem habet, virtutem in affectibus pectoris ab ipso commendatum.

Sed vt ex eodem fundamento terebinthina insigniter prodest vlcibus pulmonum, ita maxime renum ac vesicæ partiumque genitalium internis, venereis. Mundificat & in his laudatissima ista resina, & humorum acrimoniam balsamica sua vi corrigit atque lenit, & impuritates ex vasis tollit, expurgat renes & vniuersum corpus. Quare optima est in ardenti & purulenta mictione, quin & ipso mictu cruento, & interne, prouide, & externe. Habetur hinc
solen-

solenniter pro specifico in gonorrhœa curanda, simplici & virulenta, fermentum ichorefcens purulentum vitiosum in vesiculis seminalibus abstergens, in substantia, essentia, pilulis, & puluere, data cum lacte, vel in eodem ad debitam consistentiam cocta. Idem de fluore albo dictum est, cui insigniter subuenit.

Sic exhibetur in gonorrhœa simplici cum succo citri mixta, vel cum succino præparato in pilulas redacta. In maligna vero alia præter hæc admiscuntur, & elegantes fieri possunt pilulæ cum saccharo saturni, mercurio dulci, camphora & aliis. *Nicol. Chesneau l. 5. obs. 38.* eius ℥iij miscet cum camph. ℥j. cremor. tart. ℥vj. salis prun. ℥iij. pro sex dosibus matutinis, cum puluere sacchari inuolutis adsumendis. *B. Michaelis* spiritum tereb. cum saccharo saturni & camphora ordinat; & facile hinc est alia quoque cum eadem miscere medicamenta & terebinthinata reddere, v. g. ess. succin. terebinth. balsam. saturn. terebinth. &c.

Sunt, qui & *carminatiuam* terebinthinam esse perhibent, & in flatibus ac colica commendant; blando quippe suo sale volatili sulphureo flatus discutit & spiritus demulcet. Non tamen æque per se, sed magis in spiritu seu oleo cum aliis id præstat, vt proinde etiam ex hac ratione virtus eiusdem nephritica & anodyna vterius eluceat, cum non raro flatus occurrant in calculo, qui dolores valde augent atq; exasperant.

Paracelsus etiam in *morbis pestilentialibus, putredinosis, imo & febribus* ipsis vires terebinthinæ laudat, magis tamen præseruatiue, quam curatiue; siquidem omnino & hic virtutem suam balsamicam cum M. S. communicat, vt hinc fræcida præcaueatur putredo & coerceatur. Et exinde ab eodem *antelminticis* ad censetur, quorum numero vario nomine inferi potest. Est enim subamara, adeoque vermibus contraria, est laxans & purgans, est summe balsamica, quæ omnia genuina vermium sunt antidota.

Nec difficile est ex prolatis colligere, qua occasione terebinthina ad *emmenagoga* quoque a quibusdam relata fuerit.

fuerit. Diximus eam purgare & laxare aluum, diximus esse diureticam, quæ vtraque probant, adesse in ea acrimoniam salino-sulphuream irritantem membranas atque humores; hinc cum inter menses cientia ea quoque militent, quæ archeum vteri exstimulant. & sanguinem fundunt, locus in his vtique & terebinthinæ concedi potest & debet. Atque eodem modo defendi poterit eiusdem, quam asserunt quoque quidam, virtus *aphrodisiaca*; quatenus non tam generat semen, quam huic *ἔγγραμον* spumofum procurat, & ad exitum inuitat.

Illustrari hæc possunt non vno loco *Hippocratis*, qui præ aliis terebinthinam commendat ad molliendum & purgandum vterum, ad menses citandos, ad partum promouendum, *ἠνυτόκιον* vocat, ex terebinthina, melle, oleo & vino: ad dolorem ex partu.

Neque hinc indictus abire debet vsus in *arthritide*, quo de pluribus agit *Symphorianus Campegius* l. *Gallicum pentapharmacum* inscripto, ex ipso *Ebnafina* eam commendans in hoc morbo, contra *Donatum a Muris*, videndus p. 66. & 70. seq. qui & terebinthinam Gallicam dilaudat l. 3. p. 34. seqq. eximie. Confirmat illum vsum *Armatius Lusitanus* cent. 2. curat. 68. referens quendam monachum, articulari morbo simul & nephritide corripit solitum, & nullo remediorum genere ex multis tentatis bene valentem, tandem assiduo terebinthinæ vsu liberum a dictis morbis fuisse.

Ex his affatim perspicere licet, quantam in foro medico habeat vtilitatem terebinthina; longe tamen magis hæc patebit, si vsus eiusdem accedat EXTERNUS, qui varius est in idem & multiplex.

Ei inuero terebinthina externe, ob mucilaginem suam oleosam, & sulphur roscidum & blandum, emollit egregie. Hinc in tumoribus emolliendis sæum cum aliis adfert symbolum, in emplastris & vnguentis adplicata. Sic eam cum melle temperatam, & malignis nigrisque pustulis impositam, cito eas emolliisse aliqui experti sunt. Inter euocantia & educen-

educentia resinam terebinthinam & pini *Celsus* refert *lib. V. c. 12.* In suffitu vires *adstringentes* ipsi tribuit, & in procidentia vteri, si ab inferiori parte excipiatur, proficuum esse ait *Dorstenius* in *Botanic. p. 284.*

Terebinthina *discutit & resoluit.* Ut enim interne in resoluenda humorum *scilicet* potens est, sic externe quoque easdem obtinet vires. Discutit itaque & resoluit humores stagnantes, aperit poros & motum procurat. Sic oleum eiusdem seu spiritus commode hoc fine in usum vocatur in contusionibus atque tumoribus minus rebellibus, & dissipari aptis, in linimentis ac litibus.

Discutit flatus & tensiones tollit, in colica, cardialgia, doloribus calculi, ischiadicis &c. ostendens sic vim suam paregoricam externam, & optimo cum consilio eius olea oleis paregoricis & aromaticis aliis admisceri possunt. *Dioscorides* eam laudat, præter alias resinas, in doloribus laterum per se illitam & appositam.

Roborat enim vna nervos egregie, & tonum partium respicit, spiritibusque est amica. Hinc non desunt, qui spiritum terebinthinæ, vel aquam Anhaltinam potius, eodem foetam, magni faciunt in ipsa arthritide, podagra, contracturis, paralyti &c. cum linimentis neruinis, confortantibus, spirituosis aliis remixtum.

Præcipuus autem, quem præ omnibus præbet externe terebinthina, usus est *traumaticus.* Cum enim particulis suis salino-sulphureis, balsamicis & emplasticis, cuius æquiparanda sit balsamo, quam maxime in vulneribus & ulceribus curandis eius frequentatur usus, condiendo, abstergendo, mundando, roborando, a putredine præseruando vulneratis contusisque partibus auxilium ferens. Infulam in vulnera vasorum venosorum, arteriosorum, hæc conseruare & præcauere ab omni damno, testis est *Paracelsus de reb. natur. p. 1025.* Idem ex ea, cum vino forti rubro cocta, cum vitello ouorum vnguentum conficit vulnerarium, cui in excrecentiis carneis vulnerum alumen vsum cum ace-

to præparatum addit, & optimo cum successu excre-
scentias illas tollit.

Est etiam terebinthina basis in celebri maximeque de-
cantato *balsamo vulnerario Mindereri*, ex eiusdem ꝑiβ. gummi
elem. quantum in ea solui potest, ol. hyper. ꝑi. & ol. ceræ
destillat. ꝑij. composito. Tale oleum balsamicum ad vice-
ra & vulnera confecit *Cunradus* ex ol. ꝑiβ. tereb. ꝑiv. ꝑ. hy-
per. & verbasco. q. s. ad pultis consistentiam. Reponit hæc
per dies aliquot, hinc cum ꝑiβ. vini coquit ad eius consum-
tionem, oleumque calide exprimit vulnerarium laudatum.
Ipsam oleum rubrum crassum terebinthinæ admodum com-
mendat *Zwölfferus*, tanquam vulnerarium optimum. Ta-
cemus emplastra & cerota, quæ ob ingredientem hanc resi-
nam multum conferunt ad vulnerum curationem.

Optima hinc quoque observata fuit in *puncturis nervorum
et tendinum*, quæ calida & sicca desiderant, tonum partis
conferuantia, affluxum prohibentia, qualia sunt sulphurea
calidiora, & inter hæc terebinthina. Adfert *Iob. & Meekren in
observat. chirurg. c. 65. p. m. 299.* duo exempla vulnerati
tendinis, in quibus unguentum digestivum de terebinthi-
na cum aliis vtilissimum expertus fuit. Idem in fine huius
capitis p. 312. in punctura recenti tendinis aut nerui inter
alia oleum tereb. cum spir. vin. a. ꝑj. ol. cer. in quo aliquid
euphorb. solut. ꝑij. præscribit. Sic virginem in vola pun-
ctam circa basin medii digiti ab oleo terebinthinæ inuncto
levamen sensisse notavit *D. Parens Am. M. M. libr. I. Sect. II. c.
7. p. 96.*

Non minus vero permagnum affert terebinthina emo-
lumentum *ulceribus*; & propterea omnibus medicamentis,
quæ ulcera recte curare debent, admiscere iubet *Galenus lib. 2.
de Comp. med. x. γ.* Miti enim suo & balsamico sulphure di-
gerit, coquit & puris generationem promouet æque, ac le-
nit iterum, abstergit & siccat. In ipsa lepra cum ærugine ac
sutorio atramento nitroque a *Dioscoride* magni æstimatur.
Par ratio est in psora, vbi *Galenus* eandem valde commen-
dat

dat lib. 8. de med. simpl. fac. & in scabie. Hinc utiliter eam in vnguenta recipere solent contra scabiem, & in Dispensatoriis v. g. Augustano, Noribergensi aliisque exempla prostant, inde petenda quibus placet. Idem quoque valet de aliis vlcibus atque fissuris labiorum, mammarum, ani ipsius, quo in casu *Celsus* terebinthinæ resinæ myrrham laudat cum aliis. Medetur etiam vna pruritu & sensui tristi, quare eam in pruritu partium genitalium in emplastris, magmatibus & acopis leuamen afferre, autor est *Dioscorides*.

Præstantissima est in vlcibus antiquis, fistulosis, sordidis, quæ præclare mundificat & abstergit consolidatque. Pertinet huc vnguentum digestiuum chirurgorum, quod his in casibus officium suum optime facit, & apte cum vnguento Ægyptiaco remisceri potest. Deprædicant in gangræna & perionibus oleum flauum & rubrum terebinthinæ *Febure l. c.* & *Schroæderus*. Ex duabus partibus florum sulph. & camph. parte dimidia, affusis olei tereb. partibus tribus, in cucurbitam stricti orificii immixtis, per digestionem & ebullitionem in arena parat *Io. Freitagius l. c.* balsamum, quod in vlcibus magni facit. Sic utique & huc emplastra spectant terebinthinam recipientia, & vel ideo vlcum existere possunt remedia.

In auribus saniem emanantibus cum melle & oleo adplicare iubet *Dioscorides*; vt *Charas* & alii in ipsa surditate istam habere locum contendunt, immixtis guttis aliquot in aures spiritus eiusdem seu olei ætherei; consultius vero in praxi selectiori aliis minus viscidis, vel distemperatis potius eo casu utimur. Ad agglutinandos palpebrarum pilos conferre quoque meminit *Anazarbeus*. Tacemus vsum vltiorem, roborantem & adstringentem colophonix, quæ nihil aliud est, quam terebinthina oleo æthereo priua, & in multis vires cum ista communes habet. Vnde & loco coctæ resinæ, per dicta, adhibent, & optime cum vnguentis & emplastris miscent. Seorsim ad suffimenta
pro

pro leniendo tenesmo, & alui procidentia emendanda, cum mastiche, flor. verbasco. & aliis adhibetur vtiliter.

Præterea terebinthina quoque elegantissimum præbet balsamum, pro conseruandis a putredine corruptioneque corporibus, si ipsi committantur eaque obducantur. Insignis est locus de hoc effectu apud *Theophr. Paracelsum l. c. p. 1023.* Terebinthina, ait, est balsamum, quod corpora a putredine defendit. Si enim hæc in eam inuoluantur & balsamentur, nunquam putrescunt. Sic multorum, *pergit*, veterum sepulchra fuere aperta, inprimis veterum Romanorum, in quibus balsamo obducti fuerunt sepulti, quod balsamum pro Indico habitum fuit, & tamen non est. Exploratione enim & examine facto emicuit, quod fuerit terebinthina. Monet vero vna, vt arcanum videatur tegere, tanquam ingens influxus astralis patronus atque defensor, quod non nisi debita hora collectum & exceptum vires istas balsamandi prodat hoc terebinthinæ balsamum.

Cumque sic balsamicam hoc loco inprimis tetigerimus terebinthinæ virtutem, ipsaque sit reuera balsamum septentrionalium, obsignabimus hæc elogio conformi *Penna & Lobelii in Aduersar. p. 415.* Terebinthii, ait, e pullulantibus botris atque flagellis tempore verno laticem limpidissimum, odoratissimum, non parum tenacem emunximus, qui digerendo, glutinando, doloremque mulcendo omnia quæ opobalsamo insunt, conferre videtur; vbi plura legi merentur.

Conuenit in hoc terebinthina cum resina cedria, de qua *Dioscorides* meminit, quod defuncta corpora conseruet, & ex ea causa mortuorum vita fuerit adpellata. Et adsentit *Petrus Bellonius*, dum non cedrum tantum cedriam fundere, sed etiam pinum, laricem (addimus terebinthum,) iuniperum, cupressum &c. earumque omnium resinas defuncta seruare corpora, scribit. Fecit periculum in aliquot piris, putredini alias quam maxime obnoxiiis, easque immisit in terebinthinam *D. Parens*, quas per multos retro
annos

annos conseruauit & adhucdum seruat, adeo eleganti & incorrupta, vt vix ab arboribus decerpta videantur. Nouimus & ipsi hinc ab amico quodam eidem concreditas fuisse resinæ erucas maiores, variis suis iisque pulcherrimis coloribus coruscantes, quæ hinc ne minimum quidem de eleganti sua amittebant forma, sed tanquam viuentes sese offerebant visui. Has cum post annos aliquot ex liquore eximeremus, plane induratas obseruabamus, vt hinc extra istum in sicco, sine metu corruptionis, retineri possent. Nec cadauera, nec ligna, nec plantæ hoc liquore imbuta putrescunt, vt nullus sit putredinis auerruncus terebinthinæ æquiparandus.

Curiosum quoque est & huc obiter referri potest, quod aliqui formarum resuscitationem in terebinthina demonstrari posse obseruarunt, id quod inuentum est *D. Dauisonii Scoti*. R. terebinth. comm. ℞iv. impone in cucurbitam vitream, & elice lento igne spiritum & oleum æthereum. Continua ignem, quousque accesserit oleum flauum, deinde rubrum, ita tamen, vt horum fere ultra ana ℥ij. non propellantur. Tunc gradatim ignem aufer, & leuiter vas refrigescat ad tres dies: quibus peractis ex arena eximatur, & videbis circa parietes formas multarum abietum, cum radicibus, truncis, ramis & foliis mirabiliter representatis. Hoc ipsum citat quoque, & Lutetiæ Parisiorum vidisse se in *Dissert. de Plantar. veget. p. 84.* adfirmat *Kenelmus Digbeus*.

Non tantum medicos sed mechanicos quoque in vsu venit terebinthina. Inseruit enim his egregie ad conficiendas vernices, coctione quippe spissescens, per se & cum aliis, qualem subtilissimam præbere hanc ipsam *Paracelsus* ostendit *c. l.* Utuntur quoque ea ad colores subigendos & præparandos pictores. Quibus addere possumus quam subiicit reliquis dictus Philosophus per ignem, quod scilicet ex terebinthina cocta & super ignem cum lateribus puluerisatis mixta optima confieri possint pauimenta, adeo

G

vt

vt sine timore vllius corruptelæ aut labefactionis piscinarum parietes exinde formari queant. Recentiores artifices ad oblinendos intime poros, ne aqua transsudare queat, gluten aquaticum egregium, Wasserlutt / faciunt ex terebinthina, minio, cineribus cribellatis & arena; quibus & alia plura addi possunt.

Enimvero tangendus & hic vsus est terebinthinae chemicus & mechanicus, quod resinas, gummata & bitumina amicabiliter soluit, sibi que consociat, accessione caloris ignis, vnde mixturis emplastrorum, electuariorum, vt theriacæ, & aliis vesificatur. Imo & alia inde deducere & inuenire arcana licuerit; ne de vsu in ignibus artificialibus dicamus.

Vsus etiam eiusdem veteribus fuit pro conditura vinorum, iungendo terebinthinam cum defruto, seu musto ad tertias cocto, quo de vid. *Columella l. 12. de re rustic. c. 20.* vbi resinae terebinthinae sesquilibram & alia aromata iungere iubet latius. Item *Plinius l. 14. c. 19.* resina condire, musta vulgare esse ait Italiae & finitimis prouinciis; & *c. 20.* scribit rationem condiendi musta aspersu picis esse, vt odor vino contingat, & saporis quædam acumina, quod vehementius fieri arbitrentur crudo flore resinae (i.e. resinae recenti nondum cocta, vno verbo terebinthina,) excitarique lenitatem. Tale vinum resina conditum in resolutione stomachi ordinat *Celsus lib. IV. c. 5.*

Omittimus vulgatissimum colophoniam vsu ad fidium affricum facilitandum, vt teretibus resinae globulis setæ equinae alteratae & afficiant chordas intimius, & stringant fortius, sonum edituras magis æquabilem & congruum. Audit hinc notissimo nomine vulgo *Geigen-Harz.*

Quæ circa ABUSUM terebinthinae occurrunt, paucis subiungemus. Facile autem peccari potest in vsu huius resinae crudæ, siquidem *κακόςδυσωχ* audit, & ideo tenerioribus in substantia minus conuenit. Et eadem de causa renuit *D. Parens l. c.* istam propinare Serenissimæ personæ, calculo & vna ventriculi debilitate, cum nausea & vomitu facili, laboran-

tantum insigniter, suadente licet id alio medico. Considerabat enim simul ægram palati esse delicati, quo ipso posito prospiciendum erat, ne terebinthina, quæ per se adhibita paulo est nauseabunda, & deglutita facile parietibus ob viscositatem suam adhæret, multa noua crearet incommoda, quæ omni modo, præcipue in eiusmodi illustribus & tenerioris naturæ personis, euitari debent.

Hæc in propinatione terebinthinae crudæ ut vitetur molestia, vel obduci solet v. g. nebulis, & sic viscositas illa tecta & inuoluta corrigi, vel admisceri ad gratiam conciliandam saccharum aut puluis glycyrrhizæ. Vitium hoc habere, quod non bene deglutiatur, & caput tentet, corrigenda additis oleosis & pinguibus, ut oleo amygdalorum dulcium, cautela est *Iachini comm. in l. 9. Rhaf. c. 35. p. 361.* Alibi etiam c. 45. notat, nisi lauetur, pro usu interno, robur ventris dissoluere & appetentiam tollere solere p. 444.

In genere magis prodest frigidis, pituitosis, habitioribus subiectis, minus calidioribus, quibus fusio laticis fortior nociua est, & freno potius egent, quam stimulo. Ita a balsami sulphuris terebinthinati usu crebriori paulo, ut ab aliis quoque diureticis fortioribus, diabetica passio aliquando subsecuta fuit.

Fumum huius resinæ naribus exceptum ad vteri præcipitationem facere, idem notat, qui eum ab inferiori parte adplicatum istam curare obseruat, *Dorstenius l. c.*

At maiori opus est cautela circa usum spiritus, seu olei ætheri terebinthinae, internum in calculo. Hoc enim ut modice & rite adsumptum insigne resoluens est calculorum, resolubilium: sic in quantitate maiori, & viis non aperitis, vel facile occludendis, ipsisque compactis propinatum, facile, instar aliorum calidorum, impellens magis euadere potest medicamentum. Pellentia autem remedia non raro in nephriticis & calculosis noxia esse, malumque augere, multi non sine magno suo experti sunt damno, & hinc inde apud autores tristia obueniunt exempla. Quare & hic medici in terebinthinatorum usu ultra


vulgus sapere debent, & suæ ipsi tamæ ac conscientiaë consulere. Conferatur etiam hic *Freitagius c. l.*

Scriptit de hoc abusu, purgantium & balsami sulphuris, integrum tractatulum *Leichnerus*, vbi non pauca extant huc facile applicanda. Et illud quoque hic delibandum est, & ipsam terebinthinam vulgarem, (non Cypriam, non laricem pellucidam,) & inde parata, omnino minus fauere ventriculo, nec naturæ tam acceptam aspirare virtutem; nec oleum pini vilius, Templinum vocant, ad hoc balsamum impensum posse assequi vires genuini terebinthinæ spiritus, & inde præparatorum aliorum.

Tangendus hic merito est abusus terebinthinæ ad falsanda olea destillata, ipsa cum primis aromatica, roborantia, & suavi odore & gratia saporis cæteroqui se commendantia. Adeo is inoluit hodie, vt, si velimus ex conscientia iudicare, mereatur communi SCto abrogari. Quod enim in oleo spicæ communi olim, quasi consensu quodam officinarum, inualuit, id in plerisque hodie aliis obtinet, vt raro inuenias oleum citri, lauendulæ, macis & aliorum genuinum, & opus hinc sit distinguere inter olea destillata vera, & spuria, terebinthinata.

Et hoc ipsum, terebinthina falsata si sint olea, quod & *Ludouici* notat, exercitatus gustando facile deprehendit, præsertim si guttas aliquot adsumat, & ructus sibi breui post concitet: ita enim facile spiritum] terebinthinæ gustu percipiet. Idem & odore licet deprehendere, si cum pulueribus, cum aliis eadem remisceas. Imo tam subtiliter, minori quantitate illa fraus peragitur, vt ægre sæpe agnoscisci possit, præterquam successu temporis, quando pars subtilior ætherea, volatilis, olei, quod addiderant, auolauit; tunc enim merum terebinthinæ oleum remanet atque redollet. Satis nobis sit hoc vlcus tetigisse, idque maximi momenti, vnde consultum est, si quis ipse hæc non confecerit, quis enim hoc semper posset, vt quiuis medicus pro suo vsu saltim iniungat officinis, vt ne & medici & ægroti tam nefarie decipiantur.

SOLI DEO GLORIA,



ULB Halle


3


005 132 525



WMA







I. N. I. 1700, 20 28.
DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS 22

TEREBINTHINA,

CONSENSV ET AVTORITATE
ILLVSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ

*Justus Bauer
2.11.1890*

IN ALMA SALANA,

PRÆSIDE

GEORGIO VVOLFFGANGO VVEDELIO,

HÆREDITARIO in Schwarza/
MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO
CÆSAREO, CONSILIARIO ET ARCHIATRO
DVICALI SAXONICO, THEORETICES

PROFESSORE ORDINARIO,
h.t. PRO-RECTORE DESIGNATO MAGNIFICO,
PARENTE SVO OMNI PIETATE PERPETVO COLENDO,

PRO LICENTIA

INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MO-
RE MAIORVM, LEGITIME

CONSEQVENDI,

Publicæ disquisitioni exposita

CHRISTIANO^a WEDELIO,

IENENSI,
IN AVDITORIO MAIORI,
Horis ante- & pomeridianis,
A. D. August. MDCCC.

IENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

